OTIUM VARSAVIENSE IN SELECTIS EX HISTORIA LITTERARIA POLONIAE ARGUMENTIS EXPLICANDIS INSUMTUM.

WRATISLAVIAE,
APUD IOHANNEM IACOBUM KORN
MDCCLV.

REVERENDISSIMO

ET

CELSISSIMO PRINCIPI

ANDREAE STANISLAO KOSTKA

COMITI

IN ZALVSKIE ZALVSKI,

EPISCOPO CRACOVIENSI,

SEVERIAE DVCI,

HERO SVO

CVI DEBET OMNIA,

HOCCE ETIAM OTIVM

D. D. D.

FRANCISCVS RICHARDVS

GOEZIVS.

CELSISSIME PRINCEPS

Praeſtanti prudentia, et ſingulari doctrina viros, et, quod hac in re praecipuum eſſe mihi perſuadeo, facta ac conſilia TVA omnia, teſtes habes, quaſi lumen elucere TVAM in rebus gerendis prudentiam, in adiuuandis, atque adeo retinendis bonis litteris ſtudium, et amorem erga eos, qui nomen in illarum cultoribus ſuum profitentur, plane ſingularem. Quo minus opus eſſe cenſeo id ipſum comprobare rationibus, teſtimoniis, exemplis: ne cauſſae meae videar ipſe diffidere. Neque enim quae pro reipublicae vel utilitate, vel etiam dignitate geſſiſti, perſequar, quod haec mihi ſacraria perſcrutanda minime putem; TVA autem in rem litte-

❀ ❀ ❀

rariam merita, alii praedicarunt, et praedicant quottidie magis, homines eloquentia, doctrina, nominis celebritate longe me superiores. ita ſane

Creſcit occulto velut arbor aeuo

laudum TVARVM, et recte factorum gloria PRINCEPS CELSISSIME. Atque vnius profecto Chriſtiani Wolfii, praeſtantiſſimi hac aetate noſtra philoſophi, qui, quam plerique omnes armis ſibi pararunt nobilitatem, philoſophando conſecutus eſt, teſtimonium ac iudicium plus ſatis ponderis in hoc genere habere videtur. quem TV virum, cum viueret, maximi feciſti, idque eum litteris, quas frequentes ad illum dediſſes, tum ſermone ſaepiſſime declarabas. Excellentiſſimus igitur ille philoſophus, quando ſuae erga TE obſeruantiae teſtimonium deeſſe noluit, eam philoſophiae partem, quae de moribus in primis praecipit, nomini TVO voluit eſſe conſecratam. Wolfium hac in re ſequi minime omnium auderem, niſi TV is eſſes, cui, vt ceterorum ſtudiorum omnium; ita etiam otii mei litterarii rationem reddendam eſſe exiſtimarem.

marem. Etsi autem hoc quidquid est opusculi parum sane amplitudine et splendore TVO dignum videatur; tamen humanitas illa TVA, qua complecti hominum non indiligentium conatus soleas, spem mihi ostendit, id TIBI non minus, quam aqua illa Artaxerxi dono oblata, gratum futurum. De rebus litterariis patriae TVAE, CELSISSIME PRINCEPS hoc libello disputauimus. in quam, quantus sit amor TVVS, cum res abs TE gestae ex omni parte apertum faciunt, tum vero et illud ostendit: domestica scilicet magis, quam externa curare soles, qua in re facis TV quidem praeter morem omnium fere mortalium, qui, nescio quibus rebus adducti, externa semper in laude habent, sua minimi faciunt; TV contra domesticarum quidem rerum curam maximam habere, neque tamen externas propterea prae patriis contemnere sapienter, vt soles omnia, in animum induxisti. Quamobrem et patriae TVAE historia et rebus olim ab eruditis in eadem gestis mirifice delectaris, ac in maximis grauissimisque occupationibus, in ipsa ecclesiae et reipublicae negotiorum mole, de iis ita loqui soles, vt fa-

cile appareat, animum TVVM *aſſiduis tot ac talibus curis prope defeſſum hoc genere ſermonis quodammodo ſubleuari. In eam igitur ſententiam abeo, vt exiſtimem ſtudiis meis nonnihil praeſidii in dignitate* TVA *conſtitutum paratumque fore. Deus* TE, PRINCEPS CELSISSIME *et Poloniae et litterarum bono ſeruet, quantum fieri poteſt, diutiſſime.* Scribebam Varſauiae in Bibliotheca TVA *ipſo S. Matthaei feſto. MDCCLIV.*

LE-

LECTORI

S.

Scribere aliquid eiusmodi, quod doctis hominibus probare possis, res est, meo quidem certe iudicio, perdifficilis. Primum enim scriptionis argumentum nec vulgare nec inutile esse debere putant. deinde, sin sit illud iam a pluribus tractatum, aequum esse censent, eum, qui postremus in eo versetur, ceteros omnes diligentia, ingenio, eloquentia superare. Cum is esset meus in hoc genere sensus, statui, mihi potius Musisque meis, quam aliis in tanto scribentium numero canere. Neque vero deerat res Poloniae litteraria, a paucis, vt sciunt omnes, tractata, cuius partem aliquam litteris mandaremus. tamen maluissem, si animo obsequi plane licuisset, eas horas, quae huic studiorum generi essent impendendae, in lectione veterum vtriusque linguae scriptorum ponere. quandoquidem hac vna omnium quam

quam maxime delector. Sed tamen id facere per eum, cui mos gerendus fuerat, non licuit. contendebat enim a me modis omnibus illustris et Admodum Reuerendus Ianozkius vt huic historiae litterariae parti, operam saltem per otium, si possem, darem. diu id equidem me facere posse negabam. victi tandem manus dedimus; et quas hic libellus dissertationes complectitur, confecimus; has nunc, illustri eodem Ianozkio autore tecum communicamus, lector beneuole. De iis, quod sigillatim dicamus, nihil est. Singulis enim aliquid praefati sumus. Sed tamen de prima διατριβῇ quaedam dicere, necessarium videtur. Annus iam agitur, et quod excurrit amplius, cum illam τῷ μακαρίτῃ Menckenio mitterem, eo quidem animo, vt in Miscellaneis Lipsiensibus locum obtineret. Id ille mihi quae eius fuit facilitas ac humanitas, se facturum recepit in iis litteris, quas paullo ante ad me plenas omnis officii ac comitatis scripserat, quam e vita discederet. quibus litteris lectis, visus est nobis μεσαγύητης ille, nostrum in eo genere studium non aspernare. idque possem, nisi modestia vetaret laudes nobis immeritis ab illo tributas repetere, possem igitur ipsius verbis comprobare. Dum ego nugas istas quottidie typis impressas videre exspecto; interea temporis tristis ad nos de clarissimi viri morte nuncius adfertur. lugebam pro eo, ac debui mortem illam: de mea διατριβῇ plane desperabam, cum, quid illa factum sit longissimo temporis interuallo, omnino ignorarem. Quid multa? interiisse credebam foetum istum χαμαιῤῥιφῆ neque fuisse, qui illum

illum tollendum putaret: Menckenium autem, vt id mihi polliceretur, exiſtimaui voluntate potius erga me ſua adductum fuiſſe, quam quod ipſum hunc partum noſtrum tali beneficio dignum cenſeret. Poſt haec animum ad hocce otium conſcribendum adiecimus. ibi tum placuit veterem iſtam διατριβὴν, cuius fragmenta in ſchedis quaedam meis reperi retractare, aliqua addere, abiicere, mutare, emendare, ſtudere denique vt melior fieret. formam itaque, qua nunc illa ſe ſe in hoc libello ſpectandam offert conſecuta eſt; priſtina, niſi me fallit animus, paullo cultiorem. Reliquas deinde diſſertationes, aliam poſt aliam ſcripſimus. opuſculum denique ad bibliopolam miſimus, qui illud excudendum curaret. Tunc demum cum iam impreſſum eſſe comperi, praeter ſpem et contra opinionem meam ex Nouis Lipſienſibus intellexi illam ipſam Diatriben in Miſcellaneorum tomi decimi parte prima editam fuiſſe. Succenſebam me hercule feſtinationi meae. Sed quid, re mihi iam integra, facerem, plane non videbam. Vnum beneficium mihi relictum eſſe videtur; deprecari ſcilicet culpam, ſi tamen vocari culpa poſſit, quod ab inſcio ac imprudente factum ſit. Dolet mihi, ita viuam, ſcriptum, in quo diſceptationis de lana caprina hiſtoria contineatur, meis ingratiis bis editum eſſe. Primi fortaſſe vidimus de lana caprina litem fuiſſe Gorſcio ac Herbeſto; ob eamque cauſſam data eſt opera, vt, cum eam ſtylo perſequerer, multa eodem tempore οὐδὲ πάρεργον in lucem proferre quae nec inutilia eſſent, et lectoribus ταῖς περὶ περιόδων λογομαχίαις gratiora,

iucun-

iucundioraque acciderent. ea res fecit, vt de Gorscii Herbestique vita paullo verbosius scriberem, atque alia, quae ad statum quem illis temporibus litterae in Sarmatia tenuissent, faciant, attingerem. Id vero, num sit inutile alii iam disputarunt. Illud etiam ipsum in hoc Otio, quod nunc palam profero, me spectasse profiteor. vt videlicet explorato litterarum in hac Polonia pristino statu, eoque cum praesenti composito atque comparato perspiciant harum rerum candidi aestimatores εἰς οἷα ἐξ οἵων, res sint commutatae. Aperti sincerique scriptoris semper est habitum, naeuos operis non celare lectorem, sin id eius interesse videatur. quare aperte equidem fatebor, me non eadem diligentia in omnibus libri mei partibus fuisse versatum. id autem malo mihi vitio dari, quam multis verbis, etsi id facile possem, purgare. Illud scio, me neque vllius scrinia compilasse, neque de rebus a quibus bonorum studia abhorreant, scripsisse, neque etiam barbaro sermone plane, et inepto vsum fuisse, esse denique in hac opella, quae nolis non legisse.

I. ΔΙΑ-

I.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ' DE DISCEPTATIONE

INTER BENEDICTVM HERBESTVM ET IACOBVM GORSCIVM POLONOS DE

PERIODIS.

Doctorum hominum eam eſſe ſententiam perſaepe legimus, vt litterarum hiſtoriam per partes optime illuſtrari poſſe ſtatuant. quos quidem homines audire cum per ſe eſt honeſtum, tum in hac re non minimae vtilitatis. Quamobrem in animum induxi meum, deſcribere illa, quam hic vides διατριβῇ, quid, de ea Rhetoricae parte, quae de periodo praecipit, Iacobus Gorſcius, Benedictusque Herbeſtus mutuo diſputârint.

Notum eſt, quid renaſcentibus bonis litteris, et humanitatis ſtudiis mire florentibus inter ſummos illius temporis viros Petrum Bembum et Ioannem Franciſcum Picum, Mirandulae comitem, de imitatione diſceptatum ſit. Quid Angelo Politiano cum Paulo Corteſio de eadem illa re interceſſerit concertationis, ignotum non eſt. Quid denique Eraſmus Rotterodamus, cuius eximias ingenii

doctrinaeque dotes omnibus admirationi exstitere, contra Ciceronianos, in argutissimo dialogo de imitandi ratione tradiderit, & quam illiberaliter a Iulio Caesare Scaligero propterea aliquibus orationibus fuerit tractatus, fugerit, nisi me fallit animus, perpaucos. His autem, quas dixi, scriptionibus, lucem nonnullam imitandorum autorum arti additam fuisse nemo facile inficiabitur. Idem etiam in periodorum doctrina praestare voluimus, quando duorum Polonorum libros de eadem re conscriptos, vna cum totius concertationis historia in artis dicendi, historiaeque litterariae studiosorum vtilitatem pariter ac oblectationem notiora magis reddimus, atque fuerant adhuc. Id vero commode effici posse videtur, si ita ineatur ratio, vt principio vtriusque viri vitam ad id temporis, quo lis inter eos fieri coepit, perscribamus; mox omne disceptationis negocium recenseamus, et scripta eo facientia, et vtriusque partis sententiam; ipsam deinde διατριβὴν vtriusque morte concludamus.

Primum quidem, quis Benedictus Herbestus fuerit, et quem vitae tenuerit cursum ostendamus. Natus est A. a. C. N. MDXXXI in Roxolaniae oppido, quod Polonis *Noue-miasto* dicitur, ipse autem Herbestus *Neapolin* vocat. Adolescens studiorum caussa Cracouiam venit, et vna cum duobus fratribus germanis Ioanne ac Stanislao ad eloquentiae praesertim et philosophiae se se contulit studium: Ioannemque Leopoliensem sacrarum litterarum doctorem, de quo viro ipsemet gloriatur, diligenter audiuit. Tulit tandem prima studiorum suorum praemia, cum liberalium artium et philosophiae magister in academia Cracouiensi crearetur; vbi isthoc ornamenti adeptus est, voluit Senatus Leopoliensis eum gymnasio, quod in ciuium suorum bonum instituisset, praeesse. quo munere ea, quam officii ratio exigit, diligentia functus, studiosam pubem tres annos docuit. Interea temporis Cracouiensis senatus obtulit ei scholae, quam is seorsim ad Diuae virginis condidisset, regendae prouinciam. ibi tum Leo-

Leopolienſibus ſcholaſticum munus reddidit, publiceque iis oratione, gratias, vti fieri ſolet, egit. quae quidem oratio illius *explicationi III. epiſtolarum Ciceronis* praemiſſa legitur. Cracouiam itaque ſe contulit et ſcholam illam, quam oppido laborantem offendit, quinque annos rexit: vſque dum Ioannes Praerembius Gneſnenſis Archiepiſcopus illum magno conatu ad id lyceum, quod Squernouiciis eius ſumptibus erat conſtitutum, accerſiuit. paruit equidem tanti Praeſulis voluntati Herbeſtus, etſi Cracouienſem ſcholam nondum ex animi ſui ſententia reſtitutam ſe relicturum facile intelligeret. quo tamen vel abſens etiam ſcholae illae prodeſſet, docendi rationem, quam alii ſequerentur, exiguo libello, cui *Cracouienſis ſcholae apud S. Mariam inſtitutio* titulum fecit, anno MDLIX. perſcripſit vniuerſam, cum inde migraturus ſarcinas iam componeret. eodem tempore ſuam explicationem Ciceronianae orationis ad Quirites habitae ſenatui Cracouienſi, in gratiarum actionem, pro plurimis eius in ſe meritis, dedicabat, huicque dedicationi orationem, qua in deponenda apud S. Mariam ſchola eidem gratias agere volebat, adiunxit. Squernouiciis itaque duos annos, cum iuuentutem docendo, tum ſcribendo etiam, conſumpſit. Nam A. MDLIX. Librum ſuum, quem *Computum eccleſiaſticum* inſcripſerat, edidit: et in verboſa praefatione ad eundem Praerembium ſcripta, cuinam potiſſimum eccleſiae, in tot fidei opinionibus ſit adhaerendum inquiſiuit. mox anno ſequenti *Arithmeticam linearem* in vſum ſcholae ſuae publici iuris fecit. Inde, & a Philippo Padnieuio, Cracouienſium antiſtite, ſtudiorum promotore eximio, et ab ipſis Doctoribus collegii, vt illis appellatur, maioris, Cracouiam reuocabatur. quorum voluntatibus, vbi hortante Ioanne Leopolienſi, de quo paullo ante diximus, morem geſſit, publici doctoris munus illi in collegio, quod minus vocitant, eſt oblatum. Praeter, quos ſcripſi Praeſules, alio etiam mæcenate vſus eſt Herbeſtus, Staniſlao videlicet Macieouio caſtellano Sendomirienſi, viro

summo, & Regis Sigismundi Augusti ad Paulum IV. Pont. Max. oratore, cuius cum eloquentiam, tum poeticam venam abunde praedicat. Cum Gregorio Samboritano, haud vltimi subsellii poëta itidem magna ei fuit familiaritas; illum enim Leopoli scholasticorum laborum duobus annis habuit socium. is scripsit eclogam, qua Archiepiscopo Leopoliensi Paulo Tarloni gratulabatur, eam sua explicatione illustrauit Herbestus, vt suae in hominem amicitiae exstaret monimentum.

Iacobus Gorscius, qui ad nobilitatis splendorem litterarum praeterea gloriam addidit, in Masouiae prouincia prognatus est. Litteris iam inde vsque a pueritia, atque adeo aetate tenerrima institutus, cum annum ageret decimum septimum Cracouiam aduenit. Verum optimam aetatem vanis verborum litigiis, quibus omnis eruditionis ambitus circumscribi credebatur, misere ante consumpsit, quam ad genuinae eloquentiae studia, quibus posthac plurimum valebat, quaeque in academia illa re vera suscitauit, animum appulisset. Merito itaque id ipsum doluit Gorscius in epistola nuncupatoria ad Petrum Miscouium, libello *De periodis atque numeris oratoriis* praemissa. „incīderat enim in eam aetatem, qua barbaries illa foedissi„ma regnabat, qua exercitia nescio quae ab hominibus, et „otio, et ingenio abutentibus conscripta, cum magno et „iuuentutis melioribus studiis aptae, et totius maximo rei„pub. damno passim personarent. Serius tandem, partim „experientia doctus, partim a praeceptoribus, qui primi „ex illis sordibus emerserant, monitus, studia illa, quae „nihil sapere docerent, tandem abiecit, et ad eas artes, „quae libero homine dignae sunt, se retulit.„ Ad hanc ὀψιμάθειαν accessit etiam, vt in dicta praefatione queritur, fortuna, quemadmodum eam appellat, studiis inimica. ait enim, quum vel maxime „sibi discendum esset, „docendo studiis necessaria quaerere se fuisse coactum, to„tumque cursum illum atque tempus studiis aptum, rudi„mentis puerilibus explicandis, scholasticisque clamori-

„bus

„bus obieciſſe.„ Gorſcius, etſi tardius nonnihil dicendi ſtudiis ſe ſe dediſſet, mira tamen diligentia multisque vigiliis, ita in iis profecit, vt nemini popularium ſuorum in ea re concedere videatur. Multum ad id litterarum genus diligenter perdiſcendum grauiſſimis Philippi Padnieuii Cracouienſis, et Petri Miſcouii Plocenſis, Praeſulum habitis de eadem arte ſermonibus excitabatur. Hos ille viros Maecenatum ſuorum titulo, aliisque laudibus ornat plurimis: et alterius Padnieuii ſcilicet honeſtiſſimas legationes, quas obiiſſet, recenſet, in quo quidem viro eam fuiſſe affirmat dicendi peritiam, Latinique ſermonis elegantiam; vt ipſe Carolus V. Imperator, ad quem legatus miſſus fuiſſet, negaret, ſe Polonorum quemquam audiiſſe, hoc viro melius elegantiuſue latine dicentem. Magna praeterea erat in eo doctrina, magna etiam rerum gerendarum prudentia. quid enim? in Petri Thomicii Cracouienſis itidem Pontificis, at quanti viri? aula ita a iuuentute fuit; vt a ſummi viri latere, quantum liceret, nunquam diſcederet, eiuſque ſermones, iudicia, decretaque omnia exhauriret, ſuaque quodamodo faceret. Sed ad Gorſcium redeundum eſt, qui cum eloquentiae ſtudio Graecas etiam coniunxit litteras, quarum quidem eum ſane quam peritum fuiſſe, quae ingenii ſui reliquit monimenta, declarare videntur. Hac ratione cum ingenium rerum optimarum doctrina excoluiſſet, et liberalium artium magiſter, et iuris etiam vtriusque doctor creabatur. ab eo iam tempore, vt aequi iuſtique ſcientiam vna cum eloquentia magno plauſu docuit, ita ſcriptis etiam ſtudioſae iuuentuti prodeſſe coepit. et anno quidem MDLVIII. opus, cuius paullo ante facta eſt mentio, *De periodis et numeris oratoriis* duobus libris comprehenſum, anno vero, qui ſequebatur proxime, alterum *De generibus dicendi*, vno libro abſolutum edidit. Deinde Archipresbyteris, vt vocant, dignitate ornatus magna in laude Cracouiae vixit, donec peſtifera lues, quae eam ciuitatem miſere afflixit, conſuetas eum ſedes mutare cogeret. Se-

cessit ille interea temporis ad Ioannem Lowczkowskium Abbatem Thicinensis coenobii, omnium in Polonia, quot quot S. Benedicti sequuntur instituta, longe celeberrimi. ab eo igitur viro rebus omnibus liberalissime tractatus, instructaque illius loci bibliotheca vsus est, ac librum cui titulus *De figuris tum grammaticis tum rhetoricis Lib. V.* in illo secessu composuit, eique A. MDLX. Cracouiam iam reuersus dedicauit. Eodem fere tempore accidisse videtur, vt iter in Italiam cum honesto quodam iuuene Nicolao Iasienio equite Lithuano pararet. Sed cum is patris sui morte impediretur, nostro tam felici esse non licuit, vt politissimam illam regionem, & musarum propemodum domicilium, inuiseret.

Nunc demum ad id temporis peruenisse mihi videor, quo prima huius disceptationis, de qua agimus, fundamenta iacta fuere. Cum enim Herbestus eas e Cicerone epistolas, quibus quatuor epistolarum genera explicari posse arbitraretur, litterarum studiosis praelegeret, suam de periodo sententiam ostendit nouam, atque diuersam illam quidem ab ea, quam in *Notis ad Ciceronis orationem post reditum ad Quirites*, superiori tempore secutus fuisset. Occasionem ei praebet ea periodus, quae est apud Ciceronem epist. ad diuers. XIII. LXXVIII. quam ita distinguit Herbestus: *Democritus Sicyonius non solum hospes meus est: sed etiam (quod non multis contigit Graecis praesertim) valde familiaris.* Hic iam rationem, quamobrem aliter hanc circuitionem distinxisset, atque M. Tullius in oratore cap. 63. membra et incisa numerat, exponit, simulque, quid de periodo sentiat, proferre incipit. Statuit itaque periodum in grammaticam et rhetoricam diuidendam esse, seque eam nunc quidem γραμματικῶς, considerasse, id est membra et incisa orationis, sensu et syntaxi vel perfecta, vel nondum absoluta metitum esse, cum contra oratores in ea re pedum syllabarumque multitudinis tantummodo habeant rationem. Periodum autem grammaticam eam esse, quae et syntaxin et sensum

habeat

habeat perfectum: illiusque membrum id esse, in quo syntaxis quidem absoluatur, sensus non item: incisum autem vocari, in quo ne syntaxis quidem finiatur. Oratoriam autem periodum eam esse ait, de qua Cicero in oratore loco, quem supra dixi pluribus verbis ita disserit: *Me stante C. Carbo, C. F. tribunus plebis in concione dixit his verbis, o Marce Druse, patrem apello. haec quidem duo binis pedibus incisim: dein membratim, Tu dicere solebas, sacram esse rempublicam. Haec item membra ternis. post ambitus, Quicunque eam violauissent, ab omnibus esse ei poenas persolutas.* Ita posita vtriusque periodi definitione, vt exstantior earum fieret differentia, eandem illam Carbonis a Cicerone relatam orationem grammatice considerat, eaque ratione consideratam, statuit esse bimembrem, cuius primum membrum verbo, *Rempublicam*, terminetur, alterum vero, quod reliquam orationem complectitur, vt imperfectam periodum esse spectandam. nam secundum illius definitionem primum membrum huius imperfectae periodus esset, *Quicunque eam violauissent*, alterum vero, *Ab omnibus esse ei poenas persolutas.* Praeterea suis etiam verbis; sed ex germana, vti ei videtur M. Tullii sententia, quid incisum, quid membrum, quid ipse denique orationis ambitus esset ex oratorum disciplina, explicare operae pretium fore credidit. Est vero illi incisum quod binis pedibus, hoc est, cuius voces duos pedes non superant, constat, vt *O Marce Druse.* Membrum quod tribus, vt, *Tu dicere solebas.* Ambitus vero, qui longiori circumductione absoluitur. Ex his denique descriptionibus planum fore confidit, illud, quod grammatico membrum videtur, id oratori totus etiam ambitus, quod forte multis pedibus comprehendatur, posse videri. Ad haec addidit, Ciceronis imitationem in eo consistere, vt eodem syllabarum numero seruato, sententia modo contrahatur breuius, modo producatur longius, hancque imitationem sua isthac de Periodo doctrina longe commodissime perfici posse

persuasum habebat Herbestus. Atque ea, quae hactenus disputauimus summa fere est eorum, quae ille verbosioribus strophis disseruit, publicaeque luci exposuit, quum Ciceronis Epistolarum Lib. IV. vna cum sua explicatione ederet A. MDLXI.

Iacobus Gorscius, vt supra posui, de periodis antea iam ita scripserat, vt optimos quosque tum veteres tum nouos sequeretur rhetores, istam vero Herbesti diuisionem ne attingeret quidem. Quamobrem huius opinionem ferre neutiquam potuit. fecit id ille primum quidem valde familiariter, et Herbestum nullo non tempore hortabatur, et monebat etiam, vti hancce abiiceret opinionem. vbi priuatis sermonibus eum a sua opinione abducere non potuit, publico certamine idem experiri constituit. id habitum est in academia Cracouiensi Kalend. Novembr. A. MDLXI. in eo vero quemadmodum Herbestus noua nonnulla, de quibus mox dicemus, ad priorem suam opinionem adiecerat; ita et Gorscius summa acerbitate dictorumque insolentia, hunc, aduersarium suum, si quidem fides eidem sit habenda, exceperat. quare factum est (semper autem hunc in modum factum fuisse constat) vt finita disputatione vterque in sua sententia maneret, Gorscius vero alteram iam disputationem de eodem argumento publice itidem habendam decerneret. ibi tum quid euenerit, his verbis Gorscius narrat, „cum esset, in„quit, concursus frequens, autor istius nouae dimensio„nis et doctrinae non adfuit, quem nos absentem cum suis „ineptiis ita condemnauimus; vt quidquid ille de oratio„nis distinctione doceret, vanum et ineptum esse consta„ret.„ *) et subdit: „fingit Herbestus morbum, conscri„bit clam contra me volumen, in quo doctrinam illam „suam nouam explicat, ac subito vna cum libro validis „viribus in publicum prodit.„ Hactenus Gorscius. Liber Herbesti, quo de loquitur sub titulo, *Periodicae disputationis* Cracouiae eodem anno, forma quam octavam

*) In dedicat. ad Refutationem Disputat. period.

vam typographorum vocabulo apellare moris eſt, prodiit. in eo quidem ille et opinionem ſuam clarius explicat, et vſum illius praeterea demonſtrat: ſe tamen omnia, quae dixiſſet, ſincere veritatisque amore dixiſſe per Chriſtum Seruatorem (quod neſcio an non parum religioſe factum ſit) quem poſtridie in ſacra coena ſumpturum ſe ſe pollicetur, adiurat. Sed ad opus ipſum accedamus, e quo, ea decerpere ſuffecerit, quae ex principiis ſuis deducta profert, priorique ſcripto nondum etiam explicata: Sententiam ſcilicet, ſi intra dimidium verſus hexametri conſiſtat, inciſum: Sin intra verſum integrum, membrum: ſin denique eum ſuperet circumductionem a Cicerone vocitari. Deinde periodum, quatuor hexametrorum terminos egredientem aures obtundere, non delectare. Poſtremo, rarius fieri poſſe, vt grammatica periodus e ſolis conſtet inciſis: at frequenter accidere, vt e membris ſimul et inciſis, atque etiam e periodis tantum, puta oratoriis. Addit praeterea poſſe aliquando et membra, et inciſia, et periodos, ſimul grammaticas et oratorias eſſe, vt ſunt illa: *O Marce Druſe, Patrem appello, incurriſti amens in columnas, &c.* Haec ille plurimis e Cicerone petitis locis confirmat, quorum vnum, vt ſuperiora lucis non nihil inde accipiant, placet adſcribere.

Etſi vereor, iudices, ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere,

Minimeque deceat (cum Titus Annius Milo ipſe magis de reipublicae ſalute, quam de ſua perturbetur) me ad eius cauſſam parem animi magnitudinem adferre non poſſe,

Tamen haec noui iudicii noua forma terret oculos, qui quocunque inciderint veterem conſuetudinem fori, et priſtinum morem iudiciorum requirunt.

Haec periodus κατὰ γραμματικὴν conſiderata Herbeſto τρίκωλος eſſe videtur, verum ſi ῥητορικῶς eandem ſpectes ait, id eſt ſyllabarum pedumque habeas rationem, octo quaſi

quasi hexametrorum numerum inuenias: cum tamen Tullius ipse periodum vltra quartum huius generis versum progredi nolit. Eam igitur Herbestus vt oratoriam hunc in modum diuidit. vt ab, *Etsi* ad, *Timere* sit vna periodus: a, *Minime* ad, *Non posse*, sit quadrimembris, atque inde vsque ad finem sit trimembris. Ex quo patet, pluribus comprehensionibus oratoriis vnam grammaticam effici posse. Hisce periodorum praeceptis adiungit argumenta, quibus suam opinionem confirmari, aduersarii vero sententiam prosterni posse putabat. quae quidem argumenta cum leuia sint, indigna esse censeo, quae erudito lectori denuo obtrudantur. Tertio denique loco exstat alia ab iisdem viris agitata disceptatio. Fiatne deliberatio plerumque de futuris raro de praeteritis et praesentibus? id vero est, quod Herbestus τῶν παραδόξων mirus amator, negat; cui de praeteritis et praesentibus deliberationem fieri debere placet, ex Fabii, vt illi videtur sententia. Verum isthuc postea ξὺν τῷ θεῷ veniam nunc quod narrare incoepi, persequar.

Anno, quo ea, quae hactenus scripsimus, facta sunt, praeterlapso, exiit Herbesti breuis dialogus, cui titulum, *Iustus iudex*, esse voluerat. in quo cum ipsius controuersiae historia recensetur, tum aequi in ea discernenda iudicis officium demonstratur. Eum Dialogum continuo secuta est, Iacobi Gorscii *Disputationis de periodis contra se a Benedicto Herbesto, si Diis placet Neapolitano editae, refutatio*, quam Philippo Padnieuio, quem vnum huius disceptationis delegit iudicem, dedicauit, proptereaque scripsit, quod vereretur, ne, si nemo vnus Herbesti nouitatibus se se opponeret, istis eum opinionibus vniuersam academiam Cracouiensem ceteris deridendam omnibus propinaturum. Peracriter autem cum Herbesto in praefatione sui operis expostulat de eo, quod hac sua doctrina a Ioanne Sturmio disertissimo viro, Iacobo Strebaeo, Antonio Maioragio, Iouita Rapicio, a Ciceroneque ipso, Graecis etiam omnibus, quam longissime

giſſime diſcedat; addit, eum hacce diſputatione et ingenii iudiciique inopiam et fictam ſuam humanitatem pietatemque palam feciſſe. Omnis vero refutatio eo redit, vt plurimis Tullii locis ſuam ſententiam confirmet, adverſarii vero opinionem diruat. Id quanta Styli acerbitate, riſu, et illuſione faciat dici vix poteſt, nam adeo frequens in eo eſt, vt magna iſtius libri pars perierit, ſi σκώμματα ϗ λοιδορίας abſtuleris, atque adeo dubium non ſit, quin Herbeſtum aeque ludos facere, quam refutare voluerit. Non negat quidem Gorſcius, periodum in grammaticam et oratoriam diuidi poſſe; verum id negat atque pernegat, requiri videlicet ad vtramque illud tantummodo, quod Herbeſto exigi deberi videtur. ait enim neceſſe eſſe, vt vtraque tum ſenſu, tum ſyntaxi conſtet; et hoc vno alteram ab altera diſcerni, quod oratoria praeter ſyntaxin numerum etiam requirat; grammatica vero, illo carere poſſit; quia enim oratorium dicendi genus periodos, membra, inciſa grammatica, ſoluta et laxa numeris adſtringere ſoleat, necque tamen ſint membra grammatica oratoris longiora atque vtraque eodem ſenſu ſyntaxi abſoluantur: denique, quia ſoli numeri ſint, quo oratoria a grammaticis diſcerni poſſint. Id quidem multis e Ciceronis oratore ad Brutum petitis comprobat. „placet enim, inquit ille, omnia dici illa circum„ſcriptione ambituque, vt tanquam in orbe incluſa cur„rat oratio, quoad reſiſtat in ſingulis perfectis abſolutiſ„que ſententiis. Hic quidem locus, magnum ad infringendam Herbeſti doctrinam pondus habere videtur, quandoquidem ſyllabarum pedumque, atque adeo inanium ſonorum certo quodam numero ſtatuit abſolui oratorum periodos. Huc facit et Demetrius ille Phalereus, ſiue quisquis demum operis, quod περὶ ἑρμηνείας inſcribitur autor exiſtat. vult igitur rhetor ille doctiſſimus, vt κῶλα καὶ κόμματα ſint εὐκαταςρόφα πρὸς τὴν διανοίαν τὴν ὑπὸ κειμένην *). Reliquis locis eiuſdem Ciceronis ad Brutum

*) pag. 24. edit. Baſil. 8. A. 1557.

Brutum recensendis facile supersedemus, haud magno enim negotio harum rerum indagatores ea reperient. His disputatis, speciatim definitionum Herbestianarum censuram agere incipit. ostendit enim in ea constructione, *O Marce Druse*, item in ea, *Patrem appello*, aliisque et syntaxin contineri plene, et sensum; cum tamen ille negarit, in incisis, quorum hae dictiones sunt exempla vel syntaxin ipsam comprehendi. Dixit id quidem Herbestus de grammaticis; sed hasce sententias aeque grammatica, ac oratoria incisa esse posse, vt paullo antea retuli, monuit. Ex his autem consequi, vt ipsa illa exempla, quibus definitiones voluit illustrare suas, iisdem sint contrariae. Et praeterea Gorscius conuellit, quae Herbestus de incisis, membris circumductionibusque oratoriis tradidisset, eaque neutiquam cum Cicerone facere, ipsius Oratoris verbis declarat. Ita enim ille „saepe etiam sin„gulis (pedibus) vtendum est, plerumque binis, et vtris„que addi pars potest, non fere ternis amplius.„ Ceterum peropportune a Gorscio mihi existimatum fuisse videtur; Herbesto nempe illam Carbonis, quam Cicero recenset orationem fraudi fuisse, cum pro generali ambituum partiumque earum regula eam haberet; Cicero vero in eo loco id solum egisse videatur, vt Carbonis orationem metiretur, eamque commendaret, pro norma autem, a qua discedere non liceat, nequaquam haberet. id cum superiora eius verba confirmant, tum ea quae habentur l. c. cap. 63. 214. Haec nos paucula ex Refutatione illa excerpere voluimus, potuissemus autem multo plura. Nam magnis argumentorum vndique conquisitorum copiis pugnat Gorscius, in his delectum habuisset, iramque in proponendis eis cohibuisset, vehementer vellem. Atque haec sunt, quae eo diximus, quo notum fieret, quid vterque vir de periodo senserit; nunc quomodo posthac haec fuerit agitata disputatio stylo persequamur.

Cum

Cum vterque a ſe ſtare veritatem haberet perſuaſiſſimum, indeque alter alteri cedere detractaret, placuit rem ad iudices eruditos, harumque litterarum bene graros deferre. Gorſcius quidem rem omnem ad vnum Philippum Padnieuium Cracovienſem Pontificem detulit; Herbeſtus autem plurium potius optauit experiri iudicium, atque tres cauſſae ſuae arbitros conſtituit. de quibus pluribus verbis agam tum, cum prius de ea concertatione Padnieuio quid viſum ſit, narrauero. id vero ille paruo poematio per Joannem Cochanouium poetarum Polonorum, tum qui patria lingua, tum qui Romana ceciniſſent, multorum iudicio principem, perſcribi fecit. in eo igitur et Gorſcii cauſſam probat, et eidem victoriam, quam de aduerſario obtinuiſſet, gratulatur. Editum eſt id poemation ab ipſo Gorſcio Cracouiae MDLXIII. vna cum *Diſſertatione Laurentii Siradienſis philoſophi ſuper diſputatione periodica Gorſcii et Herbeſti.* Cauſſam huic diſſertationi praebuit ipſe Herbeſtus. is enim ſuam contra Gorſcium exaratam diſputationem ad Stanislaum Orechouium, virum, in primis ſaeculi ſui, non Poloniae tantum; verum totius Europae oratoribus merito collocandum, miſit, rogans, vti ſe, quid de toto illo negocio ſentiret, redderet certiorem. ei quidem Orechouius ipſe non reſpondebat, iudicium tamen ſuum a quodam ſuorum Laurentio Siradienſi dicto, de ea re perſcriptum, Gorſcio transmiſit. Verum ille huius libelli ſcripti ſuſpicionem in ipſum Orechouium transferre videtur. vt vt ſit, id certe conſtat, eum ex eloquentiſſimi illius viri ſententia fuiſſe compoſitum. Ea autem Gorſcio felicitas optima contigiſſe videtur, quod Orechouio tali tantoque viro, eius fuerit probata opinio, ea vero impugnata, quae Herbeſtus de periodorum, membrorum, inciſorum dimenſione poſuiſſet. „Neque enim, inquit ſcripti de „quo loquimur autor, inciſa idem quod hemiſtichia, ne„que membra quod hexametra in carmine ſunt aeſtiman„da, vt modo noſter contendebat Herbeſtus, qui tam in„ciſa,

„ciſa, quam membra ad perpendiculum poëticum in pro-„ſa exigit.„ Et ſubdit: aliud eſſe conſtare numero ac pedibus, aliud non diſcedere a numero. id vero ab Herbeſto negligi, qui orationem vt carmen metiatur, nihil intereſſe exiſtimans inter numerum et numeroſum: atque parum accurate illud quidem. quod enim numerus eſt, id numero minimam partem turbato non conſtare; verum mox claudicare, vt pote cuius omnis vis ipſe numerus ſit: id autem quod numeroſum eſt dirigi numero potius, dicendum eſſe, quam ex illo conſtare. Deridetur in eodem ſcripto ea, quae Herbeſto placuit imitandi Ciceronis ratio, ad quam, vt recte commodeque inſtituatur, multa alia iisque longe grauiora requirantur. Tanquam appendix huic diſſertatiunculae adiecta ſunt a Gorſcio ea Ciceronis loca, quibus ſuam ſententiam de conſultatione, de praeteritisne an de futuris habeatur? ſtabiliri poſſe credidit, quod plane etiam explicaſſe mihi quidem videtur. Ad Herbeſtum redeat oratio.

Is, quum, vt veri eſt perquam ſimile, ſuam apud litterarum ſtudioſos deminutam intelligeret exiſtimationem, prae aegritudine docendi munere anno MDLXIII. ſe ſe abdicauit, ad Stanislaum Macieouium Caſtellanum Sendomirienſem conceſſit, a quo gymnaſio, cuius Senator ille autor exſtitit, praefectus eſt. Inde vero poſt aliquod tempus ab Andrea Czarncouio Poſnanienſis eccleſiae Praeſule liberaliſſimis conditionibus Poſnaniam eſt euocatus, ibi ſcholae Lubranſcianae vna cum aliis viris eruditionis laude florentibus curam geſſit. Locorum igitur interuallo diſtitere, quorum animos opinionum diſſenſio iam dudum longiſſimo ſpatio ſepararat. verum ea res facere non potuit, vt hi viri ab vlteriori contentione ſe ſe abſtinerent. Laceſſiuit Herbeſtus. Enimuero cenſuit ille e re fore ſua cum ad tres tunc temporis in Polonia celeberrimos oratores, Stanislaum ſcilicet Orechouium, Andream Patricium, ac Petrum Skargam cauſſam ſuam diiudican-

candam deferre, tum *Periodicis reſponſionibus* quas Ao. MDLXV. quinque libris abſoluit, ſuam de ea re, quae adhuc ſub diſceptationem eſt vocata, plane, vbereque declarare ſententiam. Liber hic, qui uniuerſam de periodis doctrinam, quantum fieri poterat ampliſſime tractat, Lipſiae in 8. anno MDLXVI. excuſus eſt. an in Polonia etiam typis ſit exſcriptus? mihi quidem non liquet. illud ſane affirmare auſim me, cui contigit plura Lipſienſis editionis exempla in hac celeberrima bibliotheca Zaluſcia, ᾧ τῶν ἐπιχωρίων κειμηλίων ταμείῳ παντοδαπωτάτων, videre; in Polonia tamen quae prodiiſſet editionem, offendi nullam. Eas *Reſponſiones* Herbeſtus tribus illis arbitris ſuis dedicauit, et in dedicatoria epiſtola, primum adverſarii ſui, periodorum definitionem oppugnat, quod is neceſſario integra ſententia eas abſoluendas eſſe, doceat. deinde id enititur, vt oſtendat, illam, quam adhuc agitaſſent inter ſe ſe diſputationem, non improbandam, ſed ob vtilitatem, quam dicendi ſtudioſis adferat, laudandam merito eſſe. Ea autem, de quibus dicere voluit Herbeſtus, ita diſpoſuit. in prooemio nempe libri diſputationem de omni quaeſtionum genere inſtituere licere, item eam qua de ageret materiam veram ſcilicet periodorum doctrinam fructus adferre pulcherrimos, demonſtrat. deinde in ipſo libro primo, ex ſuperiori quidem opinione ſua de periodo praecipit ſummatim. Libro ſecundo de partibus eius, commatibus, ac membris tractat, in eiusdem vero prooemio cauſſas neglectae verae periodorum ſcientiae ſcrutatur. Libro tertio ea, quae ſuperioribus libris dixiſſet, quam vberrime docet, et in prolegomenis quaerit, numquid poſſit quis verae faciendarum periodorum artis ignarus, ad dicendi gloriam adſpirare. Quarto libro Gorſcii argumenta oppugnat, in praefationeque eius, de diſputantium officiis praecipit. Quinto denique, quae in locum τῶν παρέργων ponit, hoc eſt ea, quae Gorſcius magis contra ipſum Herbeſtum moresque eius, quam doctrinam ſcripſerat, pertractat; de iisque purgare ſe conatur.

natur. Summa totius operis, quod magna sane diligen-
tia, studio, labore est conscriptum, haec est, Requirit
Gorscius, vt sententia in periodo integra contineatur. id
vero saepe fieri non negat Herbestus, ast semper id fieri
debere, admittere non vult. de quo quidem, libro tertio
praecipue agit. ad quod probandum Graecorum quam ma-
xime vtitur testimoniis et exemplis, quos quidem Graecos
postea sedulo euoluisse videtur, quam in arenam iam
descendisset, in libris enim qui antea ab eo sunt editi per-
raro iis vsus est. Pugnat hic maximam partem Aristote-
lis, ac Demetrii Phalerei praeceptis, et exemplis ex Iso-
cratis orationibus desumptis: quam maxime autem hac,
quam adscribam eiusdem rhetoris periodo se se effert. quip-
pe ea suam confirmari existimans opinionem. Est vero haec.
πολλάκις ἐθαύμασα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγόντων,
καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων· ὅτι τὰς μὲν
τῶν σωμάτων εὐεξίας οὕτω μεγάλων δωρεῶν ἠξίωσαν, τοῖς
δὲ ὑπὲρ τῶν κοινῶν ἰδίᾳ πονήσασι, καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς
οὕτω παρασκευάσασιν; ὥστε καὶ τοὺς ἄλλους ὠφελεῖν δυνά-
σθαι, τούτοις οὐδεμίαν τιμὴν ἀπένειμαν, ὧν εἰκὸς ἦν αὐτοὺς
μᾶλλον ποιήσασθαι πρόνοιαν. His itaque verbis sententiam
demum integram absolui, adeoque ex Gorscii opinione
periodum perfici, putat Herbestus. Atqui, ait ille, Ari-
stoteles illud: πολλάκις ἐθαύμασα τῶν τὰς πανηγύρεις
συναγαγόντων, καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάν-
των. periodum διῃρημένην vocat, quae tamen ipsa perio-
dus sententiam nondum absoluere visa est Herbesto, aliter
quidem, atque Joanni Sturmio τῷ ῥητορικωτάτῳ in ope-
re de periodis Lib. I. Cap. II. pag. m. 29. b. Addit hanc
periodum, si Gorscium sequaris, octo membrorum esse,
id vero absurdum fore. quia enim ita periodo dissecta
huiusmodi membra nascerentur, quae sensum haberent
omnino nullum, quale e. gr. esset illud, τοῖς δὲ ὑπὲρ
τῶν κοινῶν ἰδίᾳ πονήσασι. Ast illa ne, quaeso, ex Gor-
scii placitis sequuntur? mihi sane non videtur. nam haud
equidem memini, huiusmodi quiddam ab eo statutum fuisse.

Pauca haec de libro, non minimo ſane, dicta ſufficiant lectori, velim, poteram equidem plura in medium adferre, verum id nolui, quia breuitatis rationem habendam eſſe duximus. Illud tamen addi praeterea oportet, Herbeſtum nequaquam id quod dici ſolet, Cuneus cuneum trudit, vſurpaſſe, verum amarulentum aduerſarii ſui ſtylum iactaque in ſe dicteria, eo ſcriptionis genere excepiſſe, quod diſceptatorem quidem, non autem obtrectatorem aliquem mordacem oſtendat.

Poſt haec, de quibus adhuc egimus, ſcripta ab vtroque publici iuris facta, coepit deſinere de periodo diſputatio; nulliſque praeterea ſcriptis eſt continuata. Iudices autem quorum ſententiae acquieſcere Herbeſto placuit; veram pronunciarunt eſſe Gorſcii ſententiam.

Expediti iam ex illa contentione acerrima, aliis ſcriptis conficiendis diligentiam ſuam exercuere. de quibus nunc diſſerere in animo eſt, adiectis etiam iis libris, qui ipſo illo concertationis tempore ſunt perſcripti. Placet autem a Gorſcio incipere. is edidit anno MDLXIII. *Artis dialecticae commentaria;* opus Cicerone, Ariſtotele, Agricola Friſio, Ioanne Sturmio, Petro Ramo, Ioanne Caeſario, Philippo Melanchthone aliiſque ducibus, perfectum et Cracouiae in 8. in lucem publicam emiſſum. Haec commentaria graeco epigrammate ornare non dubitauit, maximum Germaniae ſuae decus ac ornamentum Ioachimus Camerarius *). Vincentio autem Grauinae, limatiſſimi

*) Quod quidem huc adſcribere placuit, cum propter elegantiam quam prae ſe fert, tum vero quod Gorſcio non poteſt non eſſe perhonorificum iſtud de eius doctrina tanti viri iudicium.

ΕΙΣ ΣΥΝΑΓΩΓΗΝ ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΩΝ
θεωρημάτων ἰακώβου γωρσκίου ἀνδρὸς
ἐλλογιμωτάτου.

Διαλεκτικῶν διασπαρέντων ἐν βίβλοις
πολλῆς τε παντοίῃσί τε θεωρημάτων,

tissimi ingenii ac iudicii viro, adeo hic liber arrisit, vt eum aliis in hoc genere praeferendum esse censuerit, propterea quod & rerum delectum haberet, & vocabulorum, eaque a Cicerone accepisset, vnaque cum exemplis ad singulas dialecticae regulas accommodaret. vid. eius opuscula p. m. 26. Eorundem commentariorum etiam meminit Ioau. Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina Lib. I. cap. VIII. p. editionis Venetae, 160. vbi pro Anno MDCLIII. legendum est, MDLXIII. Idem Gorscius (quod quidem ante actum fuisse videtur, quam cum Herbesto in arenam descendisset) duas orationes, alteram Iacobi Sadoleti, *De emendandis curiae Romanae vitiis*, alteram Samuelis Macieouii, *Qua exceptus Petrus Gamratus cum veniret in episcopatum Cracouiensem*, in lucem publicam produxit; suntque Cracouiae Anno MDLXI. typothetarum formulis in 8. exscriptae. Herbestus ipso illo anno M. T. Ciceronis vitam, *E scriptis & verbis eiusdem descriptam* a se compositam ibidem excudi fecit, Philippoque illi Padnieuio dedicauit. in qua quidem dedicatione, eum hunc ferme in modum apud Praesulem illum conquestum fuisse legeram, virum, quantum equidem mihi perspexisse videor, cetera minime μεμψίμοιρον. Exiguas esse fortunas, qui-

καὶ τῆς διδασκαλίης διαπεφορημένης
πλείστων ὅσων ἰδίῃσιν ἐγχειρήσεσιν,
ὁ Γώρσκιος τάδ᾽ ἅπαντα συγκομισάμενος
κἀκλεξάμενος ἅττ᾽ εἶναι ἔγνω χρήσιμα,
οὕτω τόδε συντέθεικε τεῦχος κάλλει
κάλλιστον, ἠδ᾽ ὧν ὄφελος, ὠφελιμώτατον,
μεγέθει δέ τ᾽ οὐ μέγιστον ἀλλὰ μέτριον.
ὥστ᾽ ἀπ᾽ ἄρα τοῦδε μή τινα ζητεῖν ἔτι
τῆς πραγματείας τῆς δ᾽ ἕτερα συγγράμματα,
μηδ᾽ αὖ πλανώμενον περισκοπεῖν ὅποι
δύναιτο πορίσασθ᾽ ἂν παραγγελιῶν τε καὶ
ἄλλων τέχνης ἐτεολόγου σκευωριῶν
πλῆθός τε καὶ δύναμιν, ὅτ᾽ ἐνθάδε πάντ᾽ ἔνι.
ἑτέρου δεῖθ᾽ ἡδὺ ἐπαναπαύεσθαι πόνοις.

ἀπὸ Ιωαχείμου Καμεραρίου.

quibus Cracouiensis academiae doctoribus frui sit concessum; hancque ipsam rei domesticae angustiam in caussa esse, quamobrem haud possint illi theologiae se se totos dedere, vt quidem, quae tunc erant tempora exigere videantur, in eaque se cum excellentia versari, scriptis τῆς ὀρθοδοξίας dogmata propugnantibus ostendere, ac declarare. quia enim ii, qui in collegio, vt vocant maiori degant, grammatices praeceptis inculcandis cessare non possint. Apud eundem Fabricium l. c. p. 95. et 98. huius opusculi mentio fit. qui locus, ex his quae de prima eius editione diximus emendari poterit. itaque ante Franciscum Fabricium Marcoduranum Ciceronis gesta scriptis memoriae tradidit Herbestus; cui quidem Fabricio Marcodurano non admodum eius labor se se probasse videtur, si ex verbis eius, in Vita Ciceronis ad Annum ab V. C. DCLV. iudicandum sit, ita enim ille, *Huius Metelli consulis filium fuisse Metellum nepotem eum, qui cum Cicerone inimicitias gessit, quem Herbestus nescio quis, errore non ferendo eundem cum patre fecit.* Nunc iam ordine vtriusque vitam enarremus, quemadmodum incoeptum est. Fuerat itaque Herbestus a Czarncouio illo ecclesiae Posnaniensis canonicus creatus, simulque, ut primus a concionibus esset constitutus. scripsit ibi anno MDLXV. *Horarum canonicarum rationarium & S. Augustini sententiae de Eucharistiae explicationem*, quae opuscula coniunctim Coloniae anno MDLXVII. edita fuere. Hoc tempore animum ad theologiam totum appulisse videtur, idque praecipue operam dabat, vt eos, qui ab ecclesia catholica secessissent totis viribus impugnaret, atque quadam Stanislai Hosii epistola confirmatus illud interea vsque sedulo agebat, vsque dum anno MDLXXI. Romam (quam ob rem id factum sit, non liquet) profectus, ad eam societatem quae a IESV nomen habet, se se contulit, in eaque reliquum aetatis suae ita exegit, vt insignis pietatis in Deum, fama ac eruditionis illum maneret, cum anno MDXCI. 4. Kal. Mart. Iaroslauiae communi omnibus fato concessisset.

fiſſet. De huius quidem viri vita ſcripſere Sottwellus et Allegambe in ſuis Bibliothecis ſcriptorum S. I. ſcripſit etiam Starauolſcius in elogiis Polonorum Venetiis auctius & emendatius editis pag. 126. et ſeq. verum ἀκρίβειαν in omnibus iure merito deſideraueris. Id denique huc addere non puto fore incommodum Ioannem Herbeſtum, Benedicti noſtri fratrem, itidem in litteris et ſacerdotio vitam egiſſe, is artem dicendi in academia Cracouienſi docuit, ediditque *Rhetoricam ex omnibus M. T. Ciceronis rhetoricis, verbis eiuſdem collectam* Cracouiae in 8. Anno MDLXVI. Iacobo Gorſcio neſcio quo fato contigit, vt aduerſarii ſui veſtigia premens, Cracouiam relinqueret, domiciliumque ſuum Plociae figeret. in qua vrbe collegio canonicorum adſcriptus multos viros, litterarum bene peritos nactus eſt collegas, habuitque praeterea Petrum Miſcouium Plocenſium Pontificem veterem ſuum fautorem et Maecenatem, a quo vt multa ante in noſtrum profecta ſunt beneficia; ita et tunc temporis concionis ad populum habendae, iuris ac theologiae docendi, oblata eſt prouincia, in qua re ſocium ſibi habebat adiunctum Stanislaum Ilouium, virum Graecae pariter ac Hebraicae linguae oppido gnarum. Nemini itaque eorum, qui aut ad ſacrarum litterarum ſtudia aut, iuriſprudentiae aſpirabant, operam ſuam deeſſe paſſus eſt Gorſcius; quo ex labore nati illi ſunt, *Praelectionum Plocenſium libri IV.* in quibus de *Baptiſmo recens natorum,* de *Mediatore,* de *Vſu euchariſtiae legitimo ſub altera ſpecie,* etc. tractat. qui libri Coloniae in 8. MDLXXII. DLXXX. et DLXXXII. ſinguli prodiere. Strinxit quoque Gorſcius anno MDLXXXIV. calamum ſuum contra Frankium, cum librum ſub titulo: *De tremenda et veneranda trinitate, aduerſus quemdam apoſtatam Francken falſo appellatum chriſtianum Apologeticus, ſiue Antichriſtianus* conficeret. is Colonienſibus typis anno MDLXXXV. eſt exſcriptus. In verboſiſſima ad Regem Stephanum epiſtola, ſeu *Praefatione paraenetica,* quae hunc librum praecedit, praeter alia regem,

regem, vt catholicam religionem defendat adhortatur, liberiusque monet, et Polonis exprobrat, quod Franckium, quem nec Gallia, nec Germania tulisset, recepissent, ea propter eos, vt se pro virili his malis opponant, excitat. Ac id quidem vltimum Gorscii opus fuisse censeo; anno enim MDLXXXV. a. d. XV. Kal. Iul. vita functum fuisse eum, epitaphio docemur. Vitam eius idem Starauolscius scripsit, verum, vt dicam quod res est:

Nec nihil, necque omnia haec sunt, quae dicit.

Nos, si de Gorscio ac Herbesto nonnulla diximus (diximus autem nisi me fallit animus multa) quae ab iis quos laudauimus scriptoribus non sint relata; ea omnia ex ipsis eorum operibus epistolisque iis praemissis diligenter collegimus, ac digessimus.

τὸ τῆς διατριβῆς τέλος.

II.

VITA
ANDREAE PATRICII NIDECKI
LIVONIAE ANTISTITIS.

Quum Andreae Patricii vitam litteris mandare constituissem, venit mihi in mentem fore nonnullos, in quorum voculas factum meum incurreret. quorum quidem duo genera esse video, alterum eorum, qui nesciant virum illum vel natum vnquam fuisse, alterum horum, qui etsi extitisse eum quondam fortasse non ignorent, illas tamen litteras, quibus ille omni aetatis tempore studuisset, cum omnibus inutiles, tum vero sacerdote indignas plane esse arbitrantur. horum quidem sententiam frangere, etsi facile id esset, tamen non attinet: iique sibi illud, quod est apud comicum dictum putent;

Homine imperito, numquam quidquam iniustius,
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

illos vero, vbi quam scribere in praesentia intendimus Patricii vitam perlegerint, iam longe aliter animum inducturos existimaturosque speramus. Mihi quidem, sin vana gloriola magis, ac tanti talisque viri memoria cordi fuisset, erat opinor, e re mea, alterius potius, de quo plura referre licuisset actiones perscribere. Nam quae generatim

neratim de Patricii vita Simon Starauolſcius*) Petruſque Baelius**), quae ſparſim alii ſcripſere, ita quidem ea comparata eſſe cognouimus, vt paucis hiſtoriae litterariae amatoribus ſatisfacere poſſe videantur. Ea propter neceſſe habui ea, quae ab aliis neglecta fuiſſe intellexeram, ex ipſius Patricii atque aliorum ſcriptis, non minimo, hercule, labore colligere. cuius quidem laboris, vtinam is fructus, quem ſperabamus conſtitiſſet. Verum quid multa? quemadmodum de aliis doctiſſimis hominibus; ita et de Patricio dicere habemus nobis magnam partem eorum, quae geſſerat eſſe ignotam. Nos, vt in tanta rerum dicendarum inopia fieri potuit, ita ſumus verſati. Illud certe cauere ſtuduimus, ne quis diligentiam noſtram merito poſſit deſiderare. Atque ea quidem ante monita oportuit, quam ad rem ipſam tractandam ingrederemur.

Andreas Patricius Cracouiae ſaeculo ſexto decimo (ipſum enim annum, etſi incredibili ſtudio quaeſiuiſſem, nuſquam reperire potui) natus eſt, parentibus, non veteri nobilitate claris quidem illis, verum tamen in ea ciuitate valde honeſtis. Eas litteras, quibus puerorum aetas imbui ſolet, vbinam locorum perdidicerit, id equidem ignoro; ſin tamen locus aliquis coniecturae reliquus eſſe poſſit, Cracouiae id factum fuiſſe crediderim. Erat tum tempus illud, cuius equidem numquam ſine vehementi deſiderio poſſum meminiſſe, cum ſumma diligentia, totoque adeo animo omnes, cum per totam ferme Europam, tum in Italia praecipue elegantioribus litteris tum diſcendis, tum docendis operam dederunt. Ornabant tunc temporis eam prouinciam Sigonii, Manutii, Corradi, Victorii aliique doctiſſimi et excellentiſſimi viri. Sarmatarum

*) in elogiis Polon.
**) in lexico Tom. III. p. 628. edit. 1730.

rum itaque, quorum tum erat fummus in eas, quas dixi litteras amor, plurimi fe fe eo conferre: ad eruditiffimos illos homines fe adiungere: multoque tempore in variarum doctrinarum meditatione verfari: atque in primis Patauium confluere. Docebant tum in ea vrbe eloquentiam Carolus Sigonius Mutinenfis, et Francifcus Robortellus Vtinenfis. vterque autem, vt fcribit veteris eloquentiae ac candoris vir Joannes Cafelius*), egregius ftudiorum humanitatis cultor fuit, hic vero etiam fingulari facundia praeftare credebatur, quam tamen eloquentiae laudem alter non minus affectabat. Horum erat parum honefta, ne quid grauius dicam, animorum contentio. Plurimum autem Sigonii cauffa Poloni volebant: eumque et ad dicendi artem, et ad antiquitatis cognitionem fibi capiebant magiftrum. Quia enim in magno apud eos honore fuerat eloquentia, et praemiis, honoribus, fplendore litterae decorabantur. De fructu, quem ii ex Italico ifthoc itinere, ac diligenti praeftantium magiftrorum aufcultatione perceperint, indicio eft, vt Cromerum, Hofium Sulicouium omittam, vnus omnium fortiffimus fimul ac doctiffimus ἥρως Ioannes Zamoifcius. Hoc popularium fuorum more vbi Patauium venit Patricius, ibi tum coepit mirificum in legendis veterum monimentis ftudium ponere, Caroloque Sigonio fe fe in difciplinam tradere. Neque tamen propterea Robortelli ἀκροάσεις fibi negligendas effe arbitrabatur. Cum enim eo loci ftudiorum cauffa veniffet, recte fane ac prudenter eorum neminem, de quo egregium quiddam difcere poffet, partium ftudio praetereundum contemnendumue putabat. Ea vero ratione cum vtroque verfabatur, vt ambo fuo illum amore dignum iudicarent. Robortellus enim, vbi Martino Cromero fuum de eius Polonorum hiftoria perfcribit iudicium, *Caros inprimis habere* fe ait *doctos ac modeftos*

*) in ῥητορὶ. p. 56.

deſtos adoleſcentes Andream Patricium, et Lucam Podoſcium, auditores ſuos. Sigonius autem, quanti illum fecerit poſterius oſtendam. Nunc id dicendum eſt; cum noſter A. MDLVI. Cracouiam reuerſus eſſet ad Andream Zebridouium Pont. Cracouienſem praeſtantiſſimum virum ſe ſe applicauit. attulit ei Aldi Manutii *), quem virum et in amore, et in ore vnicum Praeſul ille habere ſolebat, effigiem. erat ea Zebridouio a Paulo Manutio A. F. dono miſſa. Is in ea epiſtola, qua iſthoc apud Zebridovium munuſculum ornauerat, Patricium *Inſigni eruditione moribuſque ſanctiſſimis hominem* appellare non dubitavit. Idem Manutius, cum ad Petrum Miſcouium, Regis tum conſiliarium, poſthac vero Cracouienſium Antiſtitem **), ſcripſiſſet, Andream noſtrum familiarem ſuum vocat; eiuſque doctrinam integritate cenſet adaequari. Neque vero (eſt enim praeſtantiſſima laus, quae ab iis proficiſcitur, qui ipſi omnium laudibus in coelum efferuntur) tacite praetermittam, quae ad ipſum Patricium, cum Patauii viueret, Manutius perſcripſiſſet ***). „Epiſto„la tua, inquit, ita loquitur, vt nullam in te patiatur „aut humanitatis, aut doctrinae partem deſiderari. ita„que ne te poſt hac Sarmatam potius, quam Romanum „dixeris„. Et paullo poſt. „Tu autem, inquit, do„ctiſſime Patrici, ſi qui nunc antiqua Italia digni reperiun„tur, qui, quam pauci ſint, quaque id accidat culpa, „non dubito, quin intelligat his te vt adiungeres, prae„ſtantiumque virorum numerum augeres, plane mihi, „cum tua ſcripta lego, et cum eos, qui tecum viuunt de „te loquentes audio, videris eſſe conſecutus„. Et in altera epiſtola ita ſcribit. „Nunc demum te, Patrici, vere „eum qui vocaris agnoſco, hoc eſt a plebe ſeiunctum, „quae libenter oculos ad terrena demittit, nihil altum, nihil

*) vide Pauli Manutii Epiſt. Lib. IV. pag. 188. edit. Venet. 1569.
**) ibidem p. 192.
***) ibid. pag. 214.

„ nihil homine dignum suscipit„. Haec vero sunt, quae si quae alia, palam faciunt, Patricium non solum adamatum, verum etiam cultum a Manutio fuisse, eloquente et omnis antiquitatis peritissimo viro. Sed redeundum est, vnde digressi nonnihil fuimus. Cum nostrum dico se ad Zebridouium applicasse, id non ita accipi velim, quasi ante quam ex Italia venisset, parum ei cognitus fuisset. Ea sane, quae in Manutii epistolis, quarum hactenus mentio facta est leguntur, me in contrariam sententiam adduxere. ait enim ille, se in Andreae nostri institutis praeclaram consuetudinem egregiaque studia Zebridouii cognoscere. cuius ex perpetuo multorum annorum conuictu, quottidianis sermonibus, consiliis, probitate, doctrina quasi diuinis legibus formasset animum suum; vt facile constet, cum sua eum ad verum decus natura duceret, doctissimi tamen ac sanctissimi viri exemplo vehementer esse incitatum. In huius itaque sapientissimi Praesulis aula versatus, cum ei in litterariis occupationibus magna cum laude praesto esset, insignem illam Cracouiensis Canonici dignitatem est adeptus. quo quidem nomine in Latini Latinii epistolis, Cardinalis Putei nomine scriptis *), anno iam MDLVII. eum appellatum fuisse video. Posthaec secundum in Italiam profectus est: et Patauium denuo venit. ibi cum iuris scientiam consecutus esset, Cracouiam MDLIX. repetiit, diligentissime veteri Patrono suo Andreae Zebridovio a Cardinali Puteo commendatus **). Verum isthaec commendatio Patricio vix vsui per Zebridouii mortem esse potuisse videtur. Nam illum anno MDLX decessisse, in Cracouiensium Antistitum annalibus legitur. De hinc itaque noster ad Philippum Padnieuium Procancellarium, Episcopum Praemislien. ac paulo post Cracouien. accessit. quo cum in Regis comitatu erat vna, atque eidem scriben-

*) pag. 106.
**) Latini Latinii epist. p. 137.

ſcribendis litteris, quoniam ſcite, commode, eleganterque Latina oratione vtebatur, operam dedit ſuam: ob eamque cauſſam Secretarii Regii titulus ei eſt tributus. ac a Rainoldo Heidenſteinio*) in iis eſt poſitus viris, qui quod ſtylo aliquid valerent, plurimum decoris huic muneri attulerunt. Exſtant duae Stanislai Hoſii ad eum, cum hoc honore fungeretur epiſtolae **), in quarum vna ſubacerbe cum Patricio expoſtulat, quod is ad ſe ſcripſiſſet, ne quam in comitiis Elbingenſibus religionis faceret mentionem. cui tamen ſe alia purgabat Patricius. ea legitur in tabulario eccleſiaſtico ſaeculi XVI. quod ex monimentis bibliothecae Gothanae Erneſtus Salomon Cyprianus edidit ***). Affirmat autem, ſe, quidquid demum ſcripſiſſet, nomine Regis id omne ſcripſiſſe. Habebat noſter ſocium in exarandis epiſtolis Petrum Miſcouium. Is erat vir, et linguae vtriuſque peritiſſimus, et optimarum artium ſcientia ita, vti ii, qui excellere creduntur, inſtructus: doctis autem externis hominibus egregie carus. illae certe, quas Paulus Manutius ad eum dedit, epiſtolae oſtendunt †), Miſcouium a Manutio mirum in modum fuiſſe obſeruatum. Idem Manutius veterem cum Patricio, poſtquam is in Polonia vixiſſet, amicitiam colere non intermiſit; etſi ingens illud locorum obſtaret interuallum. ac eius quidem rei in iisdem litteris teſtimonia mihi videor reperiſſe luculenta ††). Erat autem mirifica Patricii et Miſcouii animorum conſenſio, iucundeque viuebant vna in amore mutuo, et ſtudiis vtrique communibus. Dum itaque otium erat, pergebat tantiſper Patricius, quemadmodum multo ante inſtituiſſet, ad optimos quoſque autores, et Ciceronis ipſius, & Caeſaris, et Livii,

*) in libro de Cancellariatu.

**) vid. eius epiſt. famil. operum Tomo II. epiſt. 112. et 113.

***) pag. 489.

†) pag. 286. item 189. et 342.

††) pag. 286. et ſeq. it. 344. et alibi.

vii, et Terentii libros, eorumque locos vel obſcuros, vel corruptos plura adnotare. Adhuc haec erant, cum noſter M. T. Ciceronis quatuor *Fragmentorum tomos* ederet, ſuiſque annotationibus illuſtraret. Non dubito equidem, quin id Caroli Sigonii fecerit exemplo, non ille quidem vt ambitioſe cum tali viro contenderet; ſed vt litterariae ciuitatis, quam ex ſummi oratoris fruſtulis non innumeris, innumeras ſane vtilitates capere perſpexit, commodis ſeruiret. Enim vero, vt ea praetermittam, quae ille honorificentiſſime in praefatione de Sigonio ſcripſiſſet, quae id facile declarant; tum id alterum, id vero ego palmarium puto, quod hominis exiſtimarit diuinam omnino in colligendis illis fragmentis operam fuiſſe. Praeterea vero, ſolet noſter in ſuis ad fragmenta commentariis Sigonium perſaepe (id quod et hunc de illo in ſuis σχολίοις feciſſe video) honoris cauſſa nominare. Exempla plane humanitatis mutuaeque beneuolentiae hi duo viri in eadem re tractanda edidiſſe videntur. Cum enim anno MDLIX. quo tempore Patricium Pataui fuiſſe ſupra me dicere memini, Sigonius ſua fragmenta Venetiis ederet, ſolebat pro ſua humanitate, vt fere quodque folium ex officina librarii exierat, ad eum Patauium mittere. Nec praetermiſit noſter, ſi quem in iis inueniret locum, quem emendandum cenſeret, de ea re per litteras cum Sigonio communicare. quas quidem eius obſeruationes, quomodo acceperit, hinc inde ipſe Sigonius in ſcholiis indicauit ſuis. Ipſe autem Patricius, ſicubi corruptis fragmentis, quae tum collegerat medendum eſſe arbitrabatur, tum Sigonii, tum Pauli Manutii, qui cum tunc temporis Patavii fuerat, conſilio nonnunquam vſus eſt. Habuit quoque vnum alterumue librum, vnde illa Ciceronis ἀποσπασμάτια acceperat, cui idem Manutius manu ſua, nonnihil emendationum adſcripſiſſet. Poſtremo & Praerembii Primatis codicibus nonnumquam ſe vſum fuiſſe meminit. Nunc iam, ecquid ille his adminiculis, ſua diligentia praeſtitiſſet videndum eſt. id vero placet ipſius Patricii

verbis

verbis demonſtrare. „ Quem (Sigonium) nos, inquit, „ imitati, quae poſt eum quidem potuimus, praeſtitimus, libroſque aut per eum inſtitutos, fragmentis pleriſque locupletauimus, aut nouos ipſi ex reconditis maxime et abditis locis erutos, inſtituimus. omnes autem „ in quatuor tomos contulimus, fragmentaque autorum „ ſingula locis a fronte diligenter adnotatis, tanquam „ clypeo muniuimus, tum quae alioqui in libris vulgatis „ exſtare videbantur e medio ſuſtulimus, et in vniuerſum „ omnia, quae potuimus, vel ex libris, vel ex coniectura ipſa certe quidem emendauimus, ſcholiis etiam, „ quod illuſtrari oportere putauimus, illuſtrauimus, „ omnibusque diligentiam noſtram ſtudioſis hominibus „ approbare conati ſumus. „ Praeter ea Tullii fragmenta, quae verſu ſunt ſcripta, quae Sigonius omiſit, alia eidem neglecta Patricius addidit, quae quidem paginis XX. ſunt comprehenſa. De annotationibus, ait noſter ſe imperaſſe ſibi, ne quid ſciens prudenſque in iis eorum attingeret, quae a Sigonio ante dicta fuerint, aut memorata. Eas etſi tum, cum in Italia eſſet collegiſſe videtur, tamen in Polonia magnam earum partem, peſtem vrbis Cracouiae fugiens, rurique cum Pet. Miſcouio tempus traducens, conſcripſerat. Confectam ergo politamque Fragmentorum collectionem Venetiis apud Jordanum Ziletum, cuius opera et Sigoniana exierant, anno MDLXI. edidit, et Philippo Padnieuio, hero quondam ſuo dedicauit; qui quidem Padnieuius ipſe aliquando in his Tullianae eloquentiae parietinis eruendis ac reficiendis deſudauit. Viderat enim latere in his fruſtis diuitias Romanae linguae, in qua ille non multum etiam prouecta aetate ſic excellebat, vt in ipſa illa vrbe hoſpes cum eſſet, in qua ea nata olim ſint, pleroſque in amorem et admirationem ſui adduceret; Paulum vero Iouium in his litteris ferme principem adeo ſibi deuinciret, vt familiariter eo vteretur. Eſt illud mea certe ſententia, non minimae laudi Padnieuio tribuendum, quod Nouocomenſis ille Praeſul in

Elogiis

Elogiis *) suis scripserat; eum scilicet, ad Ioannis Dantisci tum eloquentiae tum rerum gestarum laudem praeclare adspirare. Erat Patricii summa in scribendo annotandoque diligentia. Etenim in Ouidii fastorum libros multa notauit, *Miscellaneas coniectationes* conficere instituit, denique plerosque veteres scriptores scholiis emendauit et illustrauit. Ea edere vniuersa moliebatur. et amicorum sermonibus saepe, vti id quantocyus faceret, fuit admonitus. idque adeo cum alias frequenter seduloque fecissent, tum vero vbi tertius Aduersariorum Adriani Turnebi tomus prodiisset, vehementer contendebant. Erat in his Aduersariis lib. XXVI. cap. XXXII, locus ex I. de officiis a critico illo emendatus, idque eodem plane modo, quo eum Patricius antea iam censuit esse corrigendum. qua re etsi plurimum gauderet, statuit tamen scriptionum suarum editionem in aliud tempus differre, vt interea multas multorum coniecturas cognoscens, aut se ipsum in veteribus suis confirmaret, aut maiori ἀκριβείᾳ in eas inquireret. Verum de insigni illo notarum numero, nihil praeter eas, quas in quatuor Ciceronis orationes edidit, de quibus inferius dicam, lucem, quantum equidem sciam, adspexit. Fragmentorum suorum quatuor volumina de integro Venetiis imprimi studuit Patricius. qua in re Paulum Manutium sibi operam dare cupiit**): is tamen Sario Zamoiscio, quamobrem id facere non possit, ostenderat. Nam cum Romae per id tempus degeret, non videre se ait, quid absens possit: nec libenter id se suscipere, quod, si parum succedat, metuendum esse ne amici hominis animus offendatur. *Commentarios* denique *actorum publicorum* hoc ipso tempore, quo eius opera Reges vtebantur litteris noster consignauit. eos anno MDLXXXIII. Ioanni Zamoiscio propediem, cum otium nactus fuerit, se palam emissurum fidem dedit; quam

*) p. 145. edit. Basil. fol. 1577.
**) in epistolis p. 345.

quam quidem praeſtitam fuiſſe valde dubito. Philippo Padnieuio ad Epiſcopi Cracouienſis honorem dignitatemque perducto, Procancellarii munus ad Petrum Miſcovium eſt delatum, a quo quidem tempore, ne de Miſcovio dicam, Patricius in pelagus negociorum publicorum coniectus, per aliquot in eo annos erat detentus. In tanta igitur rerum tractandarum mole, et interpellatorum frequentia, non licuit illi in litterarum ſtudiis mentem defixam habere. Cum poſtea ex illis fluctibus enataſſet, coepit ſe continuo ad conſuetas illas, quas in deliciis habebat maximis, occupationes recipere. in hoc autem otio non ſine honoribus et ornamentis vixerat. quandoquidem Praepoſiti Varſauienſis munus ei fuerat demandatum. Non me fugit, illum aliorum etiam eccleſiae beneficiorum fructus percepiſſe. erat enim Archidiaconus quidem Vilnenſis, Pultouienſis vero aliarumque eccleſiarum canonicus. Quo tempore horum quodque ex ordine ſit conſecutus, id me fateor plane ignorare. Illud monere huius loci eſſe exiſtimo. Robertus Turnerus, qui, vt infra dicemus, aliquot ad Patricium dedit epiſtolas, titulum ei, *Reginae Poloniae Cancellarii* tribuit. ego vero vehementer dubito, noſtrum re vera id muneris geſſiſſe. quando ne veſtigium quidem apud alios eius rei inuenio vllum. Ceterum quidquam hic ſtatuere ego non auſim. Cum Rex Stephanus Batoreus tribus praeliis contra Moſchos feliciter pugnauiſſet, terque victor ac triumphator reuerteretur, ſingulas Regi victorias, ſingulis orationibus Varſauiae in primario templo habitis eſt gratulatus. quas iunctim (primum enim ſigillatim in ea vrbe ſunt in lucem emiſſae) ſub titulo *Gratulationum triumphalium* editas Stanislao Carncouio Gneſnenſi Archiepiſcopo nuncupauit. Eſt in his orationibus ſententiarum pondus: apta et commoda elocutio; oratio elegans ac bene latina. eoque potiſſimum, quemadmodum ipſe Patricius ſignificat, omnem orationem conferre ſtuduit, vt omnibus appareret, totum hoc bellicarum victoriarum genus ad Deum potiſſimum eſſe Re-

gibus

gibus referendum: viderique ſibi adſcribit, his atque eiusmodi ſententiis ſemper aures regias perſonare debere. Fecit tandem initium palam proferendi ea, quae iam a multis annis habebat obſeruata. Anno quippe MDLXXXIII. in M. T. Ciceronis duas orationes *Pro C. Rabirio Poſthumo* et pro *M. Marcello Notas ad P. Miſcouium Ep. Cracou.* miſit; paullo poſt vero in eiusdem Tullii pro *Q. Ligario* et *Rege Deiotaro Notas ad Joan. Zamoiſcium regni Cancellar.* ſcriptas publici iuris fecit. Conſilium erat Patricio pauculis his, quantum in critice profecerit, periculum facere; vtque ex eis cognoſceret, reliquae eiusmodi cogitationes ſuae ſpectandae an exigendae ſint lectori prius. Placet autem paucis demonſtrare, quam rationem in iis conficiendis noſter inierit. Primum quidem omnium, negat, ſibi poteſtatem codicum Mſtorum inſpiciendorum fuiſſe vllam, propterea quod in Sarmatia eorum penuria laborarit; nec licuiſſe ſibi, ait, eos, ſi vel maxime ad manum fuiſſent, per tempus ac aetatem euoluere et conferre. deinde quia initio haec ſibi priuatim elaborabat, periculi metuebat nihil, cum quod inter domeſticos parietes ea ſe ſeruaturum credidiſſet, tum quod ſcieret, ſe in his ipſis notis nihil contentioſius defendiſſe, aut nimia fiducia affirmaſſe. ac ludum quidem haec ingenii ducebat laſciuientis, ſaepeque etiam de bonis mala facientis, vt eſſet, quod eum legendis ac relegendis Ciceronis operibus nunquam requieſcere pateretur. Quare caute ea omnia emittenda eſſe arbitrabatur, adeoque vt pars multo maxima horum domi concluderetur. In hanc fere ſententiam Patricius ipſe de ſuis illis obſeruationibus (modeſte ſane, ſi quid ego video) iudicauit. Sed quo magis ille ab iſta conſuetudine, qua ſua laudare multi ſoleant, abhorruit, hoc vehementius ab aliis eſt collaudatus. Nam Robertus Turnerus tam has notas praedicat, quam qui maxime: easque non coniecturas; ſed oracula; nec Patricium coniectatorem; ſed Apollinem cenſet. mirari ſe affirmat, eum, cui veterum codicum nummorumque

luſtran-

luſtrandorum, tanquam in extrema Polonia viuenti facultas nulla fuerit, quae vidit, ea omnia ſuopte ingenio vidiſſe *). et ni optet, vt ille tam elegantem tamque vinctam orationem in grauiori iam argumento conſumat, rogare, vti in Cicerone illuſtrando ſtrenue pergat: verum malle ſe, vt ad theologiam animum adiungat: Orichouium, aut Hoſium imitetur: haereticum aliquem ſtylo ſuo confodiat. Non ſurdo (quod aiunt) haec fabula narrabatur. breui enim poſthaec Patricii de *Eccleſia vera ac falſa libri V.* exiere; opus (placet enim et ex noſtro quantulocunque iudicio ac ingenio ſententiam pronunciare) opus inquam dignum mehercule, quod cum Sadoleti, aut Poli aliorumque ſimilium libris, perfectam doctrinam atque eloquentiam ſpirantibus conferatur, ac componatur. Quanquam equidem quantum ex dedicatione notarum illarum ad Ioannem Zamoiſcium perſpexi, de hoc libro perficiendo noſter, multo iam antea nitebatur. vt itaque Turneri epiſtola confirmatus potius in eo, quod incoepiſſet, quam incitatus ad id, de quo adhuc non cogitaſſet, eſſe videatur. Quid multa? habeo profecto Stanislai Hoſii teſtimonio comprobatum, eum anno iam MDLXXV. *Parallela eccleſiae catholicorum cum ſynagoga haereticorum* conſcripſiſſe. de quo quidem libro idem Hoſius epiſtola CCXX. ſuam Patricio oſtendit ſententiam: illique gratulatur de eo, quod tandem *ſpoliis Egyptiorum relictis ad ollas Hebraeorum tranſiiſſet.* Nihil itaque dubii mihi reliquum eſt, quin id re vera ſit a Patricio opus effectum. verum typis id etiam exſcriptum fuiſſe liquido affirmare nolim. Ipſi de *Eccleſia vera ac falſa* libri, iam ſub regni Stephani Batorei initia primum prodiere. erat autem tum opus iſtud multo quam poſtea contractius, Stanislao Hoſio S. R. E. Cardinali dedicatum. Tanto vero, vt vt paucis tam amplum argumentum comprehenderet, omnium ſtudio

*) vide Rob. Turneri epiſtolas priores. epiſt. 38.

ſtudio eſt exceptum, vt in Italicam etiam linguam conuerteretur. Latinum itaque ad ipſum Regem, Italicum autem ad Reginam Roma, in membrana deſcriptum mittebatur. In ea igitur omnium erga hunc librum ſtudio non poterat Patricius, quin eum δευτέραις φροντίσι, quas aiunt eſſe σοφώτερας, auctiorem, pluribus argumentis inſtructiorem, et ab omnibus ad oppugnandum vincendumque copiis paratiorem firmioremque ederet. quod cum propitio Numine perfeciſſet, opus integris cartarum foliis Cracouiae in officina Lazari anno MDXXCIII. eſt impreſſum. Cum Patricius ſermonibus Ioannis Zamoiſcii perſpiceret Stephanum Regem vt id ſibi opus deuoueretur cupere, ceſſit Regis voluntati, eique eleganti ac graui epiſtola illud nuncupauit. Doctiſſimi quique, atque verè catholicae religionis ſtudioſiſſimi id opus laudibus in coelum efferebant, quorum quidem in Polonia facile princeps Stanislaus Carncouius eius regni Primas, id quam maxime Patricio per epiſtolam declarauit, quae quidem epiſtola ante ipſum opus typis itidem exſcripta, eſt collocata: Patriciumque in eo vel Hoſium, Cromerum, et θεολογικώτατον Socolouium ſuperaſſe non obſcure innuit. *Omnes hi*, inquit Carncouius, *habent magnam ingenii doctrinaeque et eloquentiae laudem; ſed in hac tua tractatione quiddam ego ſingulare, magis magiſque reconditum animaduerto, quod quidem lectorem et orationis elegantia, et vulgati quodammodo argumenti noua quadam et grata tractandi ratione retinet mirificeque delectat.* Ad laudem quoque noſtri vehementer facere videntur ea, quae Robertus Turnerus de eodem libro exiſtimauit *). *Nihil adulor*, inquit, poſtquam multa de eo alia magnifice praedicaſſet, *ex his, qui res theologicas poſtremis temporibus in Ciceronis formam incluſerunt, tu mihi aut ſolus places, aut inter paucos ſumme places.* Neque tamen idem

*) Epiſtol. poſth. epiſt. 35, et 38.

idem Turnerus monere Patricium eſt veritus, vteretur nonnunquam forma orationis magis preſſa: idque ipſum Lactantii, Arnobii, Auguſtini, atque adeo ipſius Ciceronis exemplo, qui omnes, cum pugnant, membratim aut inciſim dicere ſoleant. ita enim fore, vt plus agat, quam ſi perpetua periodo producat orationem. Poſtremo adhortatur eum, vti eiuſdem libri exemplum vna cum litteris ad Bauariae Ducem mittat; dicatque ſe id autore Turnero feciſſe. Reliquum eſt, vt de vltima Patricii noſtri dignitatis acceſſione dicamus. quod quidem hoc libentius facimus, quod per eam ſumma iſta ac ſingularia merita et per ſe quidem clara, in excelſo ac illuſtri loco ſint poſita, in conſpectu cum ciuium eius, qui tunc viuebant, tum etiam poſteritatis. Tamen in laetitia doleo, cum videam me, vbi de ea ad lectores refero dignitatis acceſſione, continuo de praeſtantiſſimi viri morte dicturum. Ergo id omne ita accidit. Haud poterat iam Rex Stephanus, qui toto animo de doctorum excellentiumque hominum ornamentis commodisque cogitabat, vltra ceſſare ex virtutibus ſuis atque meritis ornare Patricium. Ob eam cauſſam curae illius Liuoniae Epiſcopatum commiſit, vt parum amplo (quemadmodum opinor) Epiſcopatui eum Praeſulem praeficeret, qui inſigni diuinarum humanarumque doctrinarum ſcientia, tantum ei amplitudinis adderet, quantum alii haberent per ſe ſe ipſi. Profecto magnum quiddam eſt Epiſcopus, aſt permagnum, et niſi me fallit animus, maximum is, qui cum optimarum artium peritia, theologia, eloquentia praeſtet, tum vero pius, modeſtus, et illius virtutis, quam ταπεινοφροσύνην Graeci vocant, omnium iudicio cultor exiſtat. Et cum ipſa quidem Antiſtitum dignitas diuinum quiddam in ſe contineat, fieri tamen omnibus apertum eſt, vt nonnullis, quibus valde acutum videre non contigit, θεῖον illud, cum quoſdam intuerentur, ſubobſcure appareret. Magna ergo laus illorum eſſe debere videtur, qui et in ingenio, et in animo (quo vtroque propius a diuinis abſumus) optimis doctri-

nis et christiano homine dignis virtutibus excolendo omne studium, laborem, diligentiam a prima aetate consumpsere. Quanquam autem dignus erat Patricius, qui longissimo tempore, tanto munere fungeretur, talique dignitate polleret; tamen octo tantummodo menses, postquam in διοίκησιν venisset, Pontifex fuit, et in arce Wolmariae, quae arx in ea διοικήσει sita est, mortem obiit. Cuius ego tanto tristiorem imaginem video, quanto grauius fero cadauer eius tam indignis acceptum fuisse modis. idque ipsum ab iis, qui in comitatu eius fuissent. Ii quippe direptis ac conuasatis (vtar enim Terentii verbo) omnibus, corpus illud, in quo tam nobilis ac praeclarus animus habitarat, desertum reliquere; donec parum tanto viro digne in eadem arce sepeliretur Adamus Naramowski *), quo ego autore, quae hic erant proxima scripseram, eam mortem in annum MDLXXXVII. ait incidisse, aliter atque Starauolscius, qui anno MDLXXXIII. Patricium ab hac vita decessisse scribit, quem Baelius, ac Cyprianus sunt secuti. Nobis veritas a Naramouio stare videtur. Primum enim omnium, in ea de qua supra dixi Carncovii ad nostrum epistola, quae anno MDLXXXIII. Kal. Septembr. est exarata, illi *Archidiaconi* solum *Vilnensis*, *Praepositi*que *Varsauiensis* titulus tribuitur. De Episcopo; somnium. Quod cum ita sit, non video, qui fieri potuisset, vt is octo fere menses episcopus esset, simulque eodem etiam anno diem obiret suum. Deinde in duabus Roberti Turneri, quae sunt Ingolstadio missae epistolis, Liuoniorum Episcopus appellatur. in quibus etsi annus non sit indicatus, tamen veri parum simile, vt tum erant tempora, esse videtur, breui interuallo duas e tam longe diiunctis locis epistolas mitti potuisse. Haec sunt, quae de Andreae Patricii vita ac studiis dicere potuimus. Si quis est,

*) in Facie rerum Sarmatic. lib. 2. c. 20. p. 658.

eſt, qui exiſtimet; vberiora de illo viro, quae erat illius virtus atque doctrina, ſcribi debuiſſe, nae is

Et ſapit, et mecum facit, et Joue iudicat aequo,

illum autem ſimul rogatum volo, vt cogitet eum ſe aequum iudicem non praebere, qui id hominis facto adſcribat, quod fortunae quodammodo, atque adeo plane, eſt tribuendum. Atqui fortuna quaſi fieri putandum eſt, vt quis aut ipſe de ſe ſe, quaſi aliud agendo multa narret, aut alii de eo partim caſu partim conſilio plurima memoriae prodant. Equidem, ſimul atque ad hanc vitam ſcribendam animum appuli, videbam mihi ea, qua nunc vſus ſum excuſatione, vtendum fore. Nihilominus tamen adduci non poteram, vt id totum conſilium meum prorſus abiicerem. Venit enim in mentem illius, quod ſapientiſſime Horatius dixerat:

Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec, quia deſperes inuicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere chiragra.
Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur vltra.

Etſi in hac quidem Patricii vita, omnia illius et edita et non edita opera indicarim; quia tamen locum quo typis ſint exſcripta; et quae cartarum ſit forma quantus denique paginarum numerus adſcribere nec volui neque etiam debui, per commodum eſſe credidi nunc demum κατάλογον eorum addere. vt, cum ii ipſi libri ſint oppido rari, titulo ſaltem integro aliqua exſtet eorum notitia.

1. Fragmentorum M. Tullii Ciceronis tomi IIII. cum Andr. Patricii adnotationibus. in 8. apud Jordanum Ziletum Venetiis. fol. 193. Has Patricii notas partim excerptas partim integras video cum aliorum notis additas eſſe *Q. Aſconii Pediani*

Commentationibus in aliquot M. T. Ciceronis orat. Lugduni Batau. 1644. excusis.

2.) Andr. Patricii Nidecii Praepositi Varsouien. Gratulationum triumphalium ex Moschouitis Orationes tres ad Stephanum Batorium Regem Polonia-rum inclytum pro Clero Varsouiensi. 4. pag. 42. sine loci anniqúe editionis mentione.

a. Andr. Patricii Nidecii Praep. Vars. ad Steph. Reg. Pol. inclyt. Gratulatio, Habita totius cleri Varsouien. nomine ob victoriam Polocensem de Moscouitis. Cracouiae in officina Lazari. Anno D. 1579. in 4. pagg. 8.

b. Andr. Patr. Nid. Praep. Vars. Gratulat. II. pro clero Varsou. ad Regem post victoriam Velcolucensem ex Moscouitis Varsouiam aduentantem. in 4. Varsouiae 1581. pagg. 13.

Has orationes tali epigrammate ornauit Joannes Cochanouius:

Patricius Stephano canit haec encomia regi.
Non alio rex hic ore canendus erat.
Sicut enim bello rex insuperabilis ille est;
Patricio eloquii laus ita prima datur.

3.) Andr. Patricii Nidecii Notae in duas M. Tullii Ciceronis orationes ad Pe. Miscouium Episc. Cracouien. Cracouiae in officina Lazari A. 1583. in 4. pagg. 110. Additae sunt Fuluii Vrsini in easdem orationes Pro C. Rabirio Posth. et M. Marcello notae.

Praefixit

Praefixit Patricius Catullianum quiddam spirans his notis epigramma.

Nostras perlege, quaeso, Tullianas,
Lector care notas nec inuenustas.
Viginti tibi displicere possunt,
Triginta tibi displicere possunt.
Quod si omnes tibi forte displicebunt,
Nobis tu quoque et ipse displicebis.

4.) Andr. Patricii Nidecii Notae in duas M. Tullii Ciceronis orationes. Ad Joan. Zamoscium Regni Cancell. Cracouiae in off. Lazari 1583. in 4. pagg. 99. Adiunctae sunt itidem Fuluii Vrsini in easdem pro Q. Ligario et Rege Deiotaro orationes notae.

5.) Andr. Patricii Nidecii Archid. Vilnae. De ecclesia vera et falsa Libri V,

I. De fundamentis ecclesiae.
II. De parietibus, seu columnis.
III. De tecto.
IV. De opere intestino.
V. De fastigio.

Cracouiae in off. Lazari 1583. in fol. pagg. 334. Haec omnia in candidissima carta typisque nitidis ac elegantibus sunt exscripta.

III.

ΠΑΡΑΛΙΠΟΜΈΝΩΝ
A
PET· DANIELE HVETIO
EPISC· ARAVSION·
IN
LIBRO
DE
CLARIS INTERPRETIBVS
SECTIONE X.

ΕΚΓΛΗΡΏΣΕΙΣ
VBI
DE POLONORVM GRAECIS INTERPRETIBVS.

PETRI DANIELIS HVETII Episcopi Arausionensis summum fuit ingenium: acre iudicium: eruditio tanta, quanta eorum esse solet, qui vna omnium voce humanarum diuinarumque doctrinarum peritissimi praedicantur. Erat ille, cum Latinae, Graecae, Hebraicaeque linguae, tum rerum gestarum omnisque antiquitatis scientissimus: in philosophorum autem et theologorum disciplinis ita, quemadmodum qui excellunt versatus. Cum tot ac tantis ingenii doctrinaeque bonis coniunctum erat incredibile studium virtutis, sanctimoniae, pietatis. Quare ii, qui hunc Praesulem et ordinis sui amplissimi, et Gallorum gentis singulare decus atque ornamen-

namentum dixere, ita mihi existimasse videntur, vt nihil eo iudicio possit ad veritatem accedere propius. Is scripsit elegantissimos simul ac grauissimos de *Interpretatione* libros duos, in quorum altero, qui de *Claris interpretibus* agit, de iis, qui e Sarmatia sint orti ita paucis disseruit: *Sterilis quoque,* inquit, *et negligens huius exercitationis Polonia Iosephum Struthium dedit, cum parum in vertendo diligentem, tum oratione corrupta horridum et deformem. Cultior longe Iosephus Tectander, florenti dictione sententias exornauit, in iisque defixus verborum et caracteris sollicitudinem insuper habuit. Neque vero si interpretum feraciores eae fuissent gentes:* et quae sequuntur. Exiguum hercle interpretum numerum! Haec mihi legenti, et mecum consideranti veniebat in mentem admirari, qui factum fuerit, vt de non contemnendo Sarmatarum numero, qui e Graecis Latina fecissent, duorum tantummodo doctissimus Antistes censuram ageret. idque eo modo, vt non obscure innuat, praeter hos, quos scripsisset, Struthium scilicet et Tectandrum, ex ea gente interpretis munus suscepisse neminem. Atqui videbam equidem, in hac opulentissima bibliotheca Zaluscia (ad quam me vocatum fuisse mihi gratulor, et gratulabor dum viuam perpetuo) Polonos multos, qui in eo genere studiorum se se exercuissent, eorumque nonnullos ita in ea re comperi fuisse versatos, vt diligentiae, ac laboris, ab iis in vertendo consumptae neminem possit poenitere. Quorum quidem hominum memoriam aut non exstare paruiue fieri, aut laudes contemni, cum mihi doleret, constitui equidem pro mea erga eorum manes voluntate, Studiorumque cum iis similitudine, quantulacunque opera nostra (sin modo id, per nos fieri possit) eorum memoriae subuenire. Itaque placuit, vt ea fere ratione, qua Huetius de interpretibus aliarum nationum iudicium facere solebat, nos de Polonis ab eo neglectis sententiam diceremus. Hocce consilium nostrum, qui aliorsum, atque cepe-

ram, rapuerint, nosque ideo solum fecisse putarint, vt huius Praesulis opinioni aliquid contrarium docere possemus, istos ego obsecrare obtestarique non verebor, cogitent me ita in animum induxisse; vt flagitium putem illis insultare viris, quorum doctrinam et eruditionem mihi optare quidem non dubito; sperare vero adhuc non audeo. Ea me mente esse, foreque semper, cum praesens istud scriptum declarat, tum ea, quae olim a nobis confecta exibunt, tum qui nobiscum viuunt testificabuntur. Haec cur pluribus scripserim; iam constat. Nunc itaque ad rem ipsam tractandam ingrediamur.

Placet autem primo loco ponere illum ipsum, qui primus in Sarmatia Graecas litteras docuisse videtur, Georgium Libanium Lignicensem. Ei, etsi in interpretibus esse vix liceat, propterea, quod paucos tantummodo Sibyllae Erythraeae versiculos, verbum plane de verbo exprimendo, Latinos fecerat; potest tamen, ac debet in instauratorum linguae Graecae in Polonia loco numerari. Huic proximum esse video Martinum Cromerum, praestanti ingenio doctrinaque virum, et e mediocrium interpretum numero iure eximendum. Cum enim Graecorum carmina ad Latinos numeros reuocabat, quod in Phocylidis νȣθητικῷ fecerat, versus quidem singulos totidem versibus facili, ac a Latina consuetudine non abhorrente dictione diligenter expressit: et in multis (quod in carmine oppido difficile esse quis nescit?) ne a propria quidem Graecorum vocabulorum significatione longius aberrauit. Soluta vero oratione VIII. eloquentissimi D. Ioannis Chrysostomi ὁμιλίας bona fide est interpretatus: studuitque apertam illius doctoris dictionem, omnesque eius χαρακτῆρας exprimere; Graeci tamen sermonis elegantias saepe non potuit Latinis adaequare. Eodem tempore tres alii floruere interpretes, quorum quidem duos Iosephum Struthium Galeni de Astrologia, item Luciani τῆς δίκης φονηέντων; et Iosephum Tectandrum itidem Galeni

Galeni περὶ φλεβοτομίας πρὸς ἐρασίστρατον interpretem, facile tacitos praetermittam. video enim Huetii iudicium de illorum verſionibus factum, tam docto viro non eſſe indignum. Tertium autem Simonem Maricium, duas Demoſthenis orationes, vnam pro libertate Rhodiorum, alteram de pace, caſta ſane ac eleganti dictione in Romanam linguam transformaſſe auſim dicere. Sed defecit nonnunquam Maricium genuinae ſignificationis, quam Graeci ſuis vocibus tribuunt, cognitio, neque rationem, qua illorum oratio necti ac conſtringi ſolet, ſatis in quibuſdam locis perſpexiſſe videtur. His proximus Stanislaus Warſchewiczki, vir antiqua generis nobilitate clarus, variaque doctrina egregie perpolitus, Heliodori Aethiopica primum e celeberrima Matthiae Pannoniae regis bibliotheca eruta, Latino ſermoni tradidit. In ea tamen verſione durioribus quoque vitiis ſublatis, plura etiamnum alia reperiri iudicauit vir Graece doctiſſimus Io. Burdelotius, qui cum ipſe ſuis illuſtratum commentariis Heliodorum ederet, nouae interpretationis ſpem lectoribus fecit. Plura ſane atque Warſchewicius Graecorum monimenta in Latium deduxit Stanislaus Ilouius. cuius adhuc adoleſcentis in eo genere ſtudium, etſi laude ſua non eſt priuandum; illud tamen, quod eo eſt effectum, non facile quis probarit. Enim vero in Demetrii Phalerei τοῦ περὶ ἑρμηνείας verſione, iuuenili, vt ipſe vocat labore, plura de ſuo ἀκαίρως plane addit: nonnulla etiam, quae Graece ſunt ſcripta, omittit: multorum denique ſe ſenſum ignoraſſe declarat. Fideliorem ſe, ac diligentiorem in Syneſii τῷ περὶ βασιλείας, ac Baſilii M. aliquibus orationibus Latine vertendis, praeſtitit. In Syneſio tamen ſubobſcuro certe ſcriptore hinc inde perſpicuitatem orationis, paſſus eſt deſiderari: nec in S. Baſilio grandem illius dicendi characterem effinxit. ad quam rem, nemo omnium erat Guilelmo Budaeo, mea quidem certe ſententia, aptior, qui ſi omnia Baſilii, ita Latina feciſſet, vt vnam eius περὶ τῆς κατ᾽ ἐρημίαν διαγωγῆς epiſtolam etſi παρα-

φρασι-

φραστικῶς tranſtulit, haberemus ſane ita Baſilium Latine loquentem, vt nec ipſe fortaſſis aliter ſcripſiſſet, ſi vſus eſſet lingua Romana. Non vltimi etiam ſubſellii interpres Ioannes Grodecius, S. Cyrilli κατηχήσεις ſimplici ac plano ſtylo Latinitate donauit, omni verborum fuco abiecto, neglectam, et nihil commentationis praeſeferentem Cyrilli orationem eſt imitatus. Optandum tamen, vt in quibuſdam magis κατὰ πόδα, quod ſaepe ſalua etiam Latina lingua fieri potuerat, autorem ſuum eſſet conſecutus. Video enim in huiuſmodi ſcriptis talem aliquam interpretationem ab omnibus fere requiri. in iis enim libris, qui religionis noſtrae myſteria tradant, ne apicem quidem temere praetereundam arbitrantur. Grodecio addam Ioannem Cochanouium, diuini plane ingenii poëtam; qui in eadem re cum M. T. Cicerone periculum virium ſuarum facere nihil veritus, Arati Prognoſtica de integro numeris Latinis adaptauit: ac multo ante, quam Hugo Grotius Ciceronis τῶν φαινομένων interpretationem, iniuria temporum valde mutilatam in integrum reſtituit. vtrumque autem pereleganti carmine, eaque fide, quae in hoc conuertendi genere poſtulari poteſt, effectum dedit. Neque ego, cum haec ſcriberem poteram non gratulari Arataeae Muſae, cui quatuor contigiſſent interpretes, partim generis ſplendore, partim litterarum ſcientia, partim vtroque ſimul, multos longe ſuperantes. Nacta enim eſt Ciceronem, hoc eſt vnum omnium eloquentiſſimum: deinde Germanicum Caeſarem Tiberii adoptiuum filium, Caligulae vero patrem: poſtea Ioannem Cochanouium, illud nouem ſororum delicium elegantioribus litteris egregie exultum, ac regio plane Coruinorum genere ortum: poſtremo Hugonem Grotium, cum nobilem itidem virum, tum vero eruditi hominis miraculum potius, quam exemplum. Cochanouii temporibus Ioannes Nouacius vixerat. is *Sententias et regulas vitae*, quas Io. Sambucus antea e Gregorii Nazianzeni operibus collectas Graece edidit, Latio donauit.

parum

parum ſane artis, quam exercere conatus eſt gnarus. et cum verbis adhaeret, ita nonnunquam obſcurus, vt quid ſibi velit, vix intelligas. Maiori cum ſucceſſu Stanislaus Phoenicius adoleſcens prorſus, ac in academia Zamoſcia litterarum ſtudioſus, excelſi profecto argumenti Orationem S. Epiphanii εἰς τὴν θεόσωμον ταφὴν Latine reddidit. verba ille omnia ſtudioſe perſequitur: et ſi qua ſententia eum fugerat, dandum id eſt cum aetati eius, tum ipſo etiam orationis argumento, ſane quam μυστηριῶδει. Certe ni is tam immaturam mortem obiiſſet, boni interpretis laudem, quin aſſecutus fuiſſet, equidem non dubito. Qui in eadem academia rhetoricen docuit Simon Bircouius, doctiſſimi rhetoris Dionyſii Halicarnaſſei librum περὶ συνθέσεως ὀνομάτων in Latinam linguam traducere conatus eſt. qua quidem in re, adeo non ſatisfecerat Iacobo Vptono Anglo; vt ille hac Bircouii verſione tanquam inepta, & a ſenſu autoris ſaepe aliena, reiecta, aliam ſibi conficiendam putarit. His omnibus vnum adhuc addam, qui de Latino Graeca vertit Nicolaum Zorauium in academia Cracouienſi philoſophum. In hoc interpretandi genere, qui aliquid praeſtiterunt, ſemper pauci fuere: et praeter Theodorum Gazam nemo vnus laude dignus eſt habitus. In Polonia tamen is, quem dixi, Nicolaus Zorauius ante annos quaſi centum et triginta exſtitit, qui duas M. T. Ciceronis orationes alteram *pro Archia poëta*, alteram *pro lege Manilia;* item *Laelium ſ. de amicitia*, tres denique *de officiis* libros, Graece eſt interpretatus, ex quibus illa ſolum *pro Archia* oratio lucem vidit; *officiorum* vero libri manu deſcripti in praeſtantiſſima hac bibliotheca Zaluſcia ſeruantur. Magnum aliquid, nemo negabit auſum fuiſſe Zorauium, qui Ciceronianae imaginem eloquentiae, Graeca oratione exprimere tentarit. Illud quidem ita Theodoro Gazae ceſſerat, vt doctiſſimi quique Ciceronem Theodori opera Graece de ſenectute diſſerentem, non minus, quam ante Latine de eadem re diſputantem ſint admirati. Erat

id

id quidem per ſe effectu difficile; ſed homini in ipſa Graecia nato ac alto, atque omni aetatis tempore optimos ſcriptores diligentiſſime legenti paullo facilius id poterat accidiſſe. Verum longe magis fuerat allaborandum illi, cui Graecorum lingua vernacula non fuiſſet, vt Ciceronem Archiae cauſſam Iſocrataea quadam facundia quaſi Athenis perorantem, aut Platonico ore in academia de officiis diſputantem exhiberet.

Poſt Zarouium mirum in modum illud praeclarum in linguam Graecam ſtudium exſtingui coeperat, et in ea vrbe, in qua olim tantopere colebatur, eo res rediit, vt priſtini illius in Graeciam amoris vix veſtigia reperias. Cui malo, vt medela adhibeatur, vehementer laborat ſapientiſſimis conſiliis ſuis Celſiſſimus Princeps Andreas Zaluſcius Cracouienſis Antiſtes, herus mihi clementiſſimus. Quamobrem ſpes reliqua eſſe videtur, fore vt tandem aliquando veterem ſplendorem Graecae litterae recipiant, tanti ac talis Praeſulis, qui et ipſe tenera adhuc aetate eas iam cognouerat, autoritate fretae ac ſuffultae.

IV.

PETRI TOMICII
EPISCOPI CRACOV. ET REGNI POLONIAE VICECANCELLARII EPISTOLA NONDVM EDITA AD ERASMVM ROTTERODAMVM.

Qua ei ſuadet, vti oblatam a Paulo III. Pont. Max. Patris Purpurati dignitatem accipiat.

Petrus Tomicius Epiſcop. Cracouienſis et Regni Poloniae Vicecancellarius

Eraſmo Rotterodamo Dauentrienſi Praepoſito.

Feſtiua tua atque inprimis elegans epiſtola, etſi videbatur aliquid Socraticae ironiae in ea ineſſe; maiorem tamen, quam credi queat, nobis attulit voluptatem. Quae ad nos noua perſcribis, ea cognitu nobis grata fuerunt omnia. illud autem iam non ſolum gratum, verum etiam inprimis iucundum accidit, quod cum Paulus tertius omnium, quos noſtra haec vidit aetas, Pontifex vere Maximus, viros, virtute, doctrina, atque omni ornamentorum genere praeſtantes, in ampliſſimorum patrum collegium cooptaſſet, de te quoque in idem collegium adſciſcendo retulerit. Mi Eraſme, quo tempore tuae nobis redditae fuerunt litterae, morbo grauiſſimo grauius, quam dici poſſit, conflictabamur; verum legendis illis, permultum nos releuari ſenſimus et recreari. Poſtca-

Posteaquam vero ad eum locum legendo peruenimus, in quo, quantum honorem summus Pontifex delatum tibi voluerit, perscribis, ita exultabamus gaudio; vt obliti morbi nostri grauissimi, pristinaeque bonae valetudini nostrae prorsus restituti nobis esse videremur. idque vel quod te propter excellentem istam doctrinam tuam merito amamus, plurimique facimus, vel quod ad constituendam rempublicam Christianam (quae nunc proh dolor nimio plus labefactata et propemodum conuulsa est) permagni interesse putamus, tibi, tuique similibus, id genus amplissimos honores mandari. Tunc enim habitura esset Ecclesia non verbo solum, verum re quoque ipsa cardines adamantinos, quos nullius furor perfringere posset. Quum hac proxima aestate allatum ad nos fuisset, Ioannem Episcopum Roffensem, qui ex honore sibi delato in fraudem incidit capitalem: Casparem Contarenum Hieronymum de Ghenutiis Archiepiscopum Capuanum: Simonetam et alios nonnullos spectatae viros eruditionis atque integritatis, a Paulo tertio in Cardinalium album relatos fuisse: tenere nos non potuimus (adeo difficile est non solum cum doleas, verum etiam cum gaudeas tacere) quin non solum ipsi in litteris nostris, factum hoc summi Pontificis in coelum laudibus ferremus; sed et regiam maiestatem ad idem faciendum impelleremus. Tantae enim virorum dignitatis tantam esse rationem habitam immortaliter gaudebamus. Quod si de te quoque tunc aliquid explorati habuissemus, qui noster amor est in te, fecissemus, mi Erasme, et quidem animo libentissimo, vt et regia maiestas, et ipsi quoque Paulo tertio, de tanto tui augendi honestandique studio, per litteras gratias egissemus. Quod tamen adhuc fieri poterit. Sed nos de egregia ista voluntate illius in te, quod cardinalitium galerum tibi inopinanti deferre cogitauerit, ante eum diem, quo tua nobis reddita fuit epistola, ne tenuem quidem vllam auditionem acceperamus. hoc tantum perlatum ad nos fuit liberalitate pontificia, Dauentriensi praepositura

te

te auctum fuiſſe. quae et ipſa res magno nobis fuit gaudio. Sed quid mi Eraſme? Tune cardinalitium galerum repudiaturus? Tu quo minus exercendae virtutis inſtrumenta, facultates et honores vltro tibi ne cogitanti quidem deferantur, manibus pedibusque obnixe facturus es omnia? Liceat nobis bona cum venia tua id quod ſentimus dicere. Etſi nos quoque ex eorum numero nos eſſe profitemur, qui prudentiam et doctrinam iſtam tuam ſingularem non ſolum laudant, verum etiam admirantur; adduci tamen non poſſumus, vt conſilium iſtud tuum probemus, quod nobis ab animo magno et excelſo alienum eſſe videtur. Nam quid tandem cauſſae eſt, quamobrem tu fortunarum et honorum acceſſiones tibi repudiandas eſſe putes? Animalculum te eſſe dicis ἡμερόβιον. cedo quid ceteri mortales? eſt ne aliquis, qui ſibi certo poſſit polliceri, diutius ſe victurum, quam beſtiolae illae apud Hipanim fluuium, quibus non eſt niſi vnius diei vſura ad viuendum a natura data. Fac non poſſe ſenes diu viuere. ſed et iuuenes cito mori poſſunt. neque eſt quiſquam tam viridi aetate, tam robuſto tamque bene confirmato corpore, vt craſtinum ſibi poſſit polliceri. cum nemo ſciat, quid ſerus veſper vehat. Ergo, cum omnium ex aequo ceruicibus Tantali ſaxum iſtud immineat, neque ſcire quiſquam poſſit, quando caſurum, ſeque ruina ſua ſit oppreſſurum: omnesne ad rempub. accedere: honores in ea gerere, atque eius adminiſtrationem ſuſcipere dubitabimus? quod non ſolum an diem vnum, verum etiam an horam vnam aut punctum vnius horae victuri ſimus certum nobis non eſt? Vide, mi Eraſme quid futurum ſit, ſi quae te mouere videtur, eadem res ceteros quoque mortales a magnis rebus gerendis deterruerit? Quod ſi, quos longius victuros ſpes ſit, eos ſolos honoribus augendos, et ad reipublicae gubernacula eſſe putaueris admouendos, cui alteri, quam adoleſcentulorum temeritati tota erit reſpub. permittenda? Quibus clauum tenentibus qui ſtatus eius futurus eſſet, in

opinione tua relinquere, quam in oratione noſtra ponere maluimus. Nos vero non eam ſolam eſſe cauſſam arbitramur, quamobrem ad rempub. capeſſendam ſenes potius quam iuuenes accerſantur, quod propria eſt huius aetatis prudentia ex multo magnoque rerum vſu collecta; ſed hanc quoque minime poſtremam, quod quanto propius ad tempus illud acceſſiſſe videntur, quo ex hoſpitio ſui corporis aeternam illam in domum migraturi, vitaeque ſuae actae, et rerum in ea geſtarum, apud ſeuerum iudicem rationem ſint reddituri, hoc minus commiſſuros eos aliquid veri ſimile ſit, cuius ſi rationem repoſcantur, reddere non poſſent. vt vel hoc ipſo nomine ad maximos honores gerendos in primis illi apti et idonei iudicentur, qui alterum iam pedem in cymba Charontis habent: neque poſſit aetatis excuſatio ſatis iuſta cauſſa cuiquam eſſe, cur onera et honores detrectandos putet. Quare, mi Eraſme, excuſationem iſtam tuam, qui ſit accepturus, futurum arbitramur neminem. Neque enim qui parum tibi temporis ad viuendum ſupereſſe credis, idcirco cardinalitius honos tibi fugiendus eſt. cum et fieri poſſit, vt opinione diutius vita tibi ſuppeditet. et, vt ſecus eueniat, non tantum tamen quam diu, quantum quam bene Cardinalem egeris, referre videtur. Si tibi Superi vel vno tantum anno, dignitate hac fruendi facultatem concederent, dubium nobis non eſt, quin multo maior ex eo vtilitas ad remp. Chriſtianam eſſet peruentura, quam cum multi multis annis eundem iſtum honorem geſſerunt. Sed tu fortaſſis hoc metuis, ne in maleuolorum, Lutheranorum praeſertim, voculas incurras. Mi Eraſme. regium eſt male audire, cum bene feceris. quin potius, qui a malis male audit, is ex prudentiſſimorum virorum ſententia optime audire videtur. Neque enim perditi hominis profligatique maledictis, gloria cuiuſquam dignitaſque violari poteſt. magis adeo illuſtratur. Non eſt autem prudentiae tuae aliunde pendere. Tuo tibi, non aliorum iudicio ſtandum eſt. Si te recte

feciſſe

feciſſe intelligis: factum autem tuum aliorſum peruerſi homines rapiunt, tua te conſcientia contentum eſſe oportet. Sin autem non eſſe tibi putas omnino negligendum, qui ſermones hominum de te, quae futura ſit exiſtimatio; non videmus, cur non eorum potius tacitae cogitationes ſuſpicioneſque tibi ſint metuendae, qui a nobis hoc eſt a Romana ſunt eccleſia. Tu iudicio quodam tuo, neglecta propemodum Solonis lege, etſi a coetu piorum numquam diſceſſiſti, atque Romanae eccleſiae cenſurae ſcripta tua omnia ſubieciſti, pleriſque tamen medium te gerere viſus es. cum neque eccleſiae placita omnia mordicus eſſe tibi tuenda putares, neque illorum doctrinam, qui ab ea deſciuiſſent prorſus euertendam exiſtimares. Ex quo factum eſt, vt dum baccilla quidem confringenda non cenſes; ſed ignem tantum alienum diſpergendum et effundendum, in eam ſuſpicionem nonnullis veneris, te cum Lutheranis potius quam cum eccleſia Romana facere. Quod ſi nunc a ſummo Pontifice tibi delatum honorem hunc reieceris, confirmabitur ea multorum ſuſpicio; aut contemni a te ampliſſimum ordinem et pro nihilo duci putabunt, aut ideo te refugere, ne cum Lutheranis in dimicationem deſcendere cogaris. alterum ex faſtu quodam nimio. alterum ex puſillo et abiecto animo procedere iudicabunt. vtrumque certe certo ſigno eſſe dicent et argumento, tacitam tibi eſſe cum Lutheranis conſpirationem, neque cuiuſquam perſuaſionibus ab hac ſua opinione ſe deduci patientur. Aliquot iam anni interceſſerunt, cum nos in quodam libello tuo legere meminimus: quod conſilii te tui poenituerit, quo de fortunis tuis et honoribus augendis nunquam ſollicitus eſſe voluiſti. cum non perinde cuiuſuis morſibus oportunus fueris futurus, ſi excelſa aliqua in dignitate collocatus eſſes. Ecce tibi nunc diuinitus occaſio eſt oblata, qua te a contemptu contemptiſſimorum hominum facile queas vindicare. qua quaſi diuina virgula ſuppeditante, ſummos honores conſequi tibi liceat, ea obuiis manibus eſſe videtur amplectanda. cum

D 2 etiam

etiam ad scriptorum tuorum immortalitatem permagni interesse videatur, si laboribus tuis eum, quem olim es meritus, fructum, tributum esse, posteri intellexerint. facileque ex eo iudicium omnes sunt facturi; non esse eius generis praeclara monumenta reiicienda, quem, propter ea ipsa, amplissima dignitate censuerint honestandum, is, qui doctrinae, virtutis et meritorum cuiusque prudentissimus est et verissimus aestimator. Si ambiendum tibi, si prehensandum esset: quanquam vir sanctissimus Cato, autor non nemini fuisse dicitur, vt etiam nummos in tribus pronunciaret, cum videret malis artibus malos homines gladiatorio animo ad consulatum viam affectare, atque euertendae reipub. consilia inire: tamen tibi vt ambires, vt prehensares, vt ineptus esses in hac aetate tua, etiamsi id e repub. futurum esset, consilium dare non auderemus. Nobis enim Christianis appetere honores non licet: quemadmodum rursus, si caritatem Christianam habeamus, oblatos quoque recusare non licet. Cum itaque vltro te vocet is, qui caput est totius ecclesiae constitutus, cui non obtemperare religio est, vide, ne, non tam Paulo tertio Pontifici maximo, quam Spiritui sancto refragatus esse videaris. neque enim veri simile est, absque numinis instinctu et afflatu Paulum tertium hanc de te in cardinalium collegium cooptando cogitationem suscipere potuisse. Quod si magni animi esse existimas, opes, copias, facultates, honores despicere, non repugnamus nos quidem; sed fieri tamen posse credimus, vt non eo quis animo bona ista fortunae negligat, quod ea non putet esse expetenda: sed quod labores fugiat, pericula metuat, sine quibus neque adipisci bona ista, neque adepta licet cum dignitate retinere. Cum non frustra dicere solitus Demosthenes feratur: Si scirent adolescentes: quanti labores, quanta discrimina rempublicam capessentibus impendeant, potius eos ex alto praecipites se daturos, quam vllam ad partem illius accessuros. Si itaque horum periculorum metu animus cuiusquam ab honoribus

in republica gerendis refugit, is nobis videtur a vera fortitudine multum esse alienus. Deinde vero ea contemnere, quae nondum sis assequutus, non maximi esse negocii nobis persuademus. Sed eum magnum virum iudicamus, et sublimi quodam, atque excelso animo praeditum, qui, cum ea est adeptus, quae certissimum sunt hominis experimentum, et quae vere quidam irritamenta malorum esse dixit: nihilominus de perpetuo vitae suae statu deiectus non est: sed in amplissima fortuna aequabilitatem vitae conseruat, atque eundem semper animum retinet, et secundum Pauli praeceptum ita ea habet, tanquam non habeat. Facile est alicui, viuendi praecepta dare his, qui excelso atque illustri in loco positi omnibus fortunae bonis affluunt. Sed ex praeceptis viuere, cum in eadem fortuna fueris collocatus, neque ab officii religione declinare, id vero longe difficillimum esse videtur. Quare ne dubita, tui quoque periculum facere. Magistratus, enim esse dicitur, qui virum indicat. Docuisti enim hactenus Pontifices, Cardinales, Reges et Principes Christianos, quemadmodum se gerere debeant. nunc tu quoque in eorum locum, huc te Deo vocante, ascendito: viuum te illis exemplum proponito: praecepta tua ad rem conferre studeto: reipub. Christianae labenti succurrito, nomen tuum ad immortalitatem consecraturus, atque ea, a Deo optimo maximo laturus, quae neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt. Quo sumus in te, mi Erasme, suauius effusi, hoc nobis amor plura suggerit argumenta, quibus te, ne cardinalitium galerum recuses, cohortemur. Sed longius, quam initio nobis fuit propositum, creuit epistola. vt multa nobis praeterire, et receptui iam canere sit necesse. A te petimus, quod te, tanta prudentia et doctrina virum, pluribus cohortari sumus ausi, cum abunde ipse, quid tibi faciendum sit cognoscas, vt id in optimam partem accipias. Fecimus enim id certe ex abundantia quadam amoris nostri, cum erga te, tum erga

ga rempub. Christianam, cuius rationibus praeclare consuleretur, si quod tibi suademus, persuadere possemus. Quare si quid a nobis peccatum est, id partim amori nostro, partim humanitati tuae assignabis, quae nos etiam familiarius fortasse, quam aequum est, tecum agere docuit. Vale. Datum Cracouiae die XXV. Mensis Octobris 1535.

Huic epistolae Stanislaus Gorscius Cracouiensis canonicus, qui multis annis Tomicio ab epistolis erat, adscripsit sequentia:

„*Epistolarum omnium clarissimi ac sapientissimi* „*Antistitis Tomicii, haec postrema est: qua*„*triduo ante mortem eius scripta quidem, sed* „*cum viribus iam deficientibus subscribere il*„*lam manu sua non posset, morsque paullo* „*post eum occupasset, non fuit ad Erasmum* „*missa.*„

Commode sane heic se locus, quaedam de P. Tomicii vita dicendi, offerre videtur. Multo quidem antea idem Stanislaus Gorscius, vir admiranda in herum suum fide, vberrimum commentarium de huius Praesulis vita conscripsit, cum a stylo, tum vero a rebus quas continet praecipue commendandum. is manu descriptus tomo XVI. Epistolarum Legationum et cet. Tomicio Vicecancellario scriptarum et missarum adiunctus est; operi identidem Gorscii manu exarato. Ex quo quidem ea, quae hic leguntur scito fuisse excerpta: item et illam, quam legeras, epistolam.

Natus est Petrus Tomiczki in Polonia maiora paterno in rure *Tomici* dicto, anno M.CCCCLIX. patre Nicolao Vexillifero Posnaniensi. Admodum puer parente orbatus, a tutore in scholam Gnesnensem ad magistros est deductus. Inde, Latinis litteris bene, vt tum erant tem-

tempora, imbutus, in academiam Lipſienſem, vt praeter alias litteras Germanicam etiam linguam perdiſceret, miſſus eſt. Lipſia Cracouiam audiendorum philoſophorum cauſſa venit. Breui tempore mirifice profecit. et cum publice, vt fit, diſputant, omnes, qui aderant, ingenium eius ac doctrinam ſunt admirati. Iter tum ille in Italiam meditabatur. Volebat enim in ea regione medicinae operam dare, et illius ſcientiae, qua plurima philoſophorum dogmata iam comprehenderat, acceſſiones quaerere. Petiit autem ad eam rem tutoris conſenſum. qui quidem tutor, vbi Tomicii ingenium ad maxima quaeque a natura factum cognouiſſet, autor ei exſtitit, vt abiectis aridis philoſophorum tricis, ac medicorum placitis, ad dicendi artem et iurisprudentiam adiungeret animum, eiuſque cauſſa Italiam adiret. Id conſilium placebat Tomicio. Itaque Bononiam continuo venit, qua in vrbe, humaniorum litterarum doctore vſus eſt Philippo Beroaldo, iuris autem prudentiam docentem, Antonium Burgum, Hiſpanum, audiuit. Amborum ſummo cum profectu auditor fuit. Poſtea quam iuris vtriuſque laurea in eadem illa vrbe eſt donatus, Romam ſe contulit. Putabat enim oportere, inibi ſuae in iure ſcientiae iam periculum facere, ipſumque rerum vſum cum doctrina coniungere. Interea temporis perlatae ſunt ad Tomicium litterae Friderici Cardinalis, Archiepiſcopi Gneſnenſis, ſimulque Cracouienſis Epiſcopi. Is, cum in incredibili apud ſuos eſſet exſpectatione Tomicius, eum hortatus eſt, vt in patriam veniret, ampluмque Cancellarii apud ſe munus obiret. Paret ille. et ad Cancellarii apud Cardinalem Fridericum, et ad Archidiaconi Cracouienſis dignitatem euehitur. Poſt tres annos moritur Cardinalis, nec multo poſt, ipſe etiam Rex Alexander. Electus erat in Alexandri locum frater eius Sigiſmundus Glogouiae Dux. hunc principem, cum Tomicius, et naturali quodam inſtinctu, et ſuo etiam iudicio plurimum diligeret, mox ſe ſe ad eum adiunxit. Sigiſmundus au-

tem animo ingenioque eius perſpecto ſtatuit, ſe illius opera ad maiora quaeque vti poſſe. Primum itaque eum ad Pomeraniae Duces miſit legatum, deinde ad Valachos item Wratislauiam ad Sileſiae Principes, bis etiam in Hungariam. In quibus legationibus obeundis, quoniam ita ſe geſſit, vt iudicium, quod de eo Rex feciſſet, comprobaretur, primum quidem cum in ipſa adhuc Hungaria orator eſſet, Epiſcopatum Praemislienſem a Rege collatum accepit. Idem deinde Rex, Vicecancellarium illum creauit: poſtque aliquot annos Poſnanienſis eccleſiae Praeſulem conſtituit: ea quaſi lege, vt a ſuo latere vix vnquam diſcederet. erat enim eius praeſentia Regi boniſque omnibus perneceſſaria. Poſtremo omnium Epiſcopatum Cracouienſem, quem illi Ioannes Konarski, Antiſtes ſenectute confectus ceſſerat, Rege ingenti cum laetitia comprobante, eſt conſecutus. Neque tamen Vicecancellarii munere ſe ſe abdicauit. Cum Ioannes de Laſco regni Primas e vita conceſſiſſet, vltro Rex eum honorem ampliſſimum Tomicio detulit. Verum ille, debitas pro eximia Regis in ſe voluntate gratias agens, ſe accepturum negauit. dicebat ſe illis, quibus polleret ornamentis, contentum eſſe, necque altiſſimum hunc dignitatis gradum conſcendere velle. Itaque Vicecancellarii munus ad mortem vſque, cum Cracouienſi Epiſcopatu retinuit. Quo tempore omni, patriae ſuae ſalutem ac dignitatem tam, quam qui maxime, cordi habuit, et omnibus, qui aliter affecti fuerant, forti conſtantique animo reſtitit. Vehementer etiam in multis Bonae Sfortiae, Reginae, repugnauit: inprimis vero in regii filii Sigiſmundi Auguſti, inſtitutione, quam ipſa illa Regina voluit eſſe peruerſiſſimam. Primum itaque conatus eſt, vt eiectis iſtis mulierculis, aliiſque molliculis hominibus, quibus cum iuuenis aſſiduo erat vnà, Lazaro Bonamico in diſciplinam traderetur. Quod, cum perficere non poſſet, grauiſſimis litteris ipſum principem regium ad virtutis doctrinaeque ſtudium frequen-

quenter eſt cohortatus. Litteratos homines ſummo in pretio habebat Tomicius, ad eaſque litteras crebro dedit, et liberaliſſima manu munera miſit. Erant in eo numero Cochlaeus, Sichardus, et in Italia Lazarus Bonamicus. Permagni etiam fecit Eraſmum Rotterodamum, qui plures in Sarmatia habebat fautores, Cricium ſcilicet, Schiedlowiezium, Laſconem et alios; Nonnullos etiam diſcipulos, vt Zebidrouium, Laſconem, Bonerum. Ac Eraſmus quidem vt Tomicio pro multis in ſe beneficiis gratiae nonnihil referret, ei Senecam dedicauit ſuum. Ceterum mutuas vtriuſque litteras, inter reliquas Eraſmi epiſtolas, qui volet, legat. In patria quoque ſua Tomicius doctos homines rebus omnibus adiuuarat, iiſque vt inſignes honores conſequerentur auxilio fuit. Alebat ille praeter quoſdam theologos, Latinarum, Graecarum Hebraearum Litterarum interpretes. Anno MDXXXIV. pridie Idus Maii coepit Tomicius e ſtomacho grauiter laborare; deinde in febrim incidere. ea durauit diu. eratque inconſtans. Ergo, ex medicorum conſilio, vt ſe a publicorum negotiorum moleſtiis liberaret, in oppida ſua *Kielce* et *Borzancin* ſeceſſit. dum ibi meliuſcule haberet, nondum tamen a morbo liberatus eſſet, Rex eum, vt Cracouiam, in qua vrbe ille filiae ſuae Hedwigi nuptias apparabat, vocauit. Non dubitabat Tomicius pro ſuo in Regem animo, ei morem gerere. et in maximis inteſtinorum doloribus rheda Cracouiam vectus eſt; ibique Regem aduentantem in templo primario exceperat. Ex quo vero hydrops ad cetera etiam mala acceſſerat, Regem quidem amplius videre non potuit, ſenatoris tamen et Vicecancellarii munere non minus, quam cum valuit bene, functus eſt. Atque is ſtatus eius fuerat bimeſtri ferme tempore, quo Rex Cracouiae fuit: morbo tamen quotidie magis magiſque ingraueſcente. Vbi ille ſpem conualeſcendi relictam vidit nullam, ibi tum Teſtamentum, quod iam

antea feciſſet, pluribus circumſtantibus denuo comprobauit, et ſigillum regni, quo adhuc vſus eſt, in capſula conditum in templo deponi iuſſit. Id factum erat a. d. VIII. Kal. Nouembr. A. MDXXXV. Sequentibus diebus ſacro oleo inunctus, profeſſus eſt, ſe iniuriarum omnium memoriam Chriſto remittere; pecuniaſque, quae ſibi deberentur vniuerſas, acceptas ferre. A. d. autem III. Kalend. Nouemb. petiit, vt ſibi hiſtoria eorum, quae Chriſtus paſſus eſſet, quae a S. Luca diuinitus eſt conſcripta, legeretur. id vbi factum eſt, auſcultauit diligentiſſime, cumque legendo ad ea verba, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum* ventum eſt, vno halitu, animum exſpirauit; ſumma cum, qui aderant omnium admiratione.

V.

DE VSV

EPISTOLARVM

AB

EXTERNIS HOMINIBVS SCRIPTARVM

IN ILLVSTRANDA

RE LITTERARIA POLONORVM,

DISSERTATIO.

Qui vnquam in re Polonorum litteraria aliquid praeſtare conati ſunt, aut eam paullo diligentius conſiderarunt, non ibunt inficias exiſtimo, pauca eſſe, ad eam cognoſcendam ac intelligendam adminicula: fatebuntur etiam illam eiuſmodi libris, quibus aliarum gentium res litterariae plurimum adiuuantur, maximam partem deſtitui. Poſſem id equidem pluribus verbis oſtendere; ſed aequum eſſe non cenſeo, in re aperta lectorum patientia abuti. Qua propter, ſi qui ſunt, qui ad hanc hiſtoriae litterariae partem animum applicant, illis permagna moleſtia ea, de quibus dicere conſtituiſſent, hinc inde colligere eſt neceſſe. quod cum faciunt, experiuntur profecto, in eiuſmodi libris et locis, haberi nonnunquam praeclara multa, in quibus ea quaerenda eſſe, vix vnquam quiſquam putaſſet.

Eſt ſane multorum ſententia, ipſaque adeo experientia comprobatum, ingenti vſui eſſe rei litterariae ſtudioſis mutuas eruditorum epiſtolas. Sed nos earundem vtilitatem,

litatem, cum aliqua ad Poloniam pertinentia indagaſſemus, maxima cum animi laetitia praeſtantem eſſe comperimus: et deferuente deinde gaudio, idem illud admirati quoque ſumus. Id quidem fecit, vt huius rei cauſſas, non oſcitanter mecum in animo conſiderarem. Coepi itaque ſuperiorum temporum atque hominum, qui in ea incidiſſent, repetere memoriam: vtrorumque conditiones ponderaui: collegi quae venerant in mentem omnia, hancque ſummam feci cogitationum mearum.

Cum bonae litterae e tenebris excitatae in Italia egregie colerentur, diſcerentur, docerentur, erat principio quidem earum ſcientia Alpibus quodammodo obſepta, hos tamen ipſos montes, mox rumor tranſuolaſſe videtur; quidque inibi ageretur tanto ſtudio, tantaque contentione, aliis nationibus ſignificaſſe. Coepit ergo, vt alias gentes multas, ita et Sarmaticam illud omni laude praedicationeque digniſſimum earum addiſcendarum deſiderium. Coepit itidem illos horum hominum amor, quorum ſtudiis, laboribus, vigiliis, has ipſas litteras aut propagari longius, aut amplificari intellexere. Quamobrem illorum audiendorum cauſſa iuuenes quidem longiſſime hinc a patria ſua abire non ſunt veriti: nec in virili aetate, ampliſſimos iam in republ. magiſtratus gerentes, dubitarunt, eoſdem illos homines, tanquam amicos colere, et per litteras cum iis colloqui frequentiſſime. Atque illud quidem experti ſunt, Philippus Beroaldus, Eraſmus Rotterodamus, Caelius Calcagninus, Lazarus Bonamicus, Paulus, eiuſque filius Aldus Manutius, M. Ant. Muretus, Carolus Sigonius, Franciſcus Robortellus, Robertus Turnerus, Iuſtus Lipſius, Ioſephus Scaliger, Ianus Douſa, Ioannes Caſelius, Paulus Meliſſus Francus, Erycus Puteanus, atque alii.

Epiſtolas ab aliquibus eorum, quos hactenus nominaui ſcriptas, typis excuſas exſtare, neminem, qui paullo ſit ἐν τῇ βιβλιογνώσει verſatus, fugerit. de quibus quidem epiſto-

epiſtolis aliquas, quae ad argumentum noſtrum faciant, indicabimus, ſimulque aliquibus ſpeciminibus vtilitatem oſtendemus earum.

Primum autem locum tribuendum puto Caelii Calcagnini epiſtolis, quarum vna tantummodo ad noſtram rem faciet. ea eſt VI. libri VII. ad Iacobum Stachoski ſecretarium Poloniae miſſa: digna ſane cuius non minima pars huc adſcribatur. *Ex eo,* inquit Calcagninus, *tempore ſingularis illa vrbanitas tua — oculis mihi ſemper obverſatur, quam tum familiariter, homo tantae dignitatis ac exiſtimationis, quaſi autoritatis tuae oblitus, vrbis praeclariſſimae — loca publica, priuata, templa, arcem, caſtella, aquaeductus, piſcinas admirabilis artificii, bibliothecas inſtructiſſimas, inſtrumentum aureum argenteum — iubebas aperiri, vt mihi omnia viſenda, tractanda etiam exponerentur. Tu etiam equeſtres decurſiones in ripis Viſtulae, tu conflictus catafractorum et vera prope Martis ſimulacra oſtendebas, et quaſi* τȣ̀ς ἀχαιȣ̀ς ἀπὸ τȣ̃ πύργȣ ἔκρινες. *captata deinde occaſione quos tu homines, Di boni mihi conciliabas! Ampliſſimum et meo praeconio longe maiorem Petrum Tomicium Antiſtitem Praemislienſem, magnum illum animo et rebus geſtis Chriſtophorum Palatinum Cracouienſem, clariſſimum praeterea fortunis et honoribus Andream Cricium, et ſapientia, et litteratura multo clariorem, poëtam plane abſolutum. cuius doctiſſimum et lepidiſſimum epithalamium legi non ſine admiratione. Italia certe, atque ipſa Roma, ad quam illud dedi, tam gratanter accepit, tam ex animo laudauit, vt non quaſi Germanicum aut Sarmaticum foetum, ſed tanquam natiuas, et genuinas delicias agnouerit; vt multos ingenue ſuppuduerit, Muſas Romanas multo apud vos magis, quam in Latio Latinè loqui. Non poſſem enarrare quam mihi moleſte acciderit, quod eum hominem, tot ingenii et litterarum facibus ſplendidum, more canis Aegyptii in ipſo ſcilicet articulo diſceſſus mei, iam petaſato et*

ſuc-

ſuccincto ſalutare, atque amplexari contigerit. Quae ſequuntur de oblato iure Ciuitatis in Polonia Calcagnino, etſi re non leuicula, omitto, quoniam ab argumento eſt alienum.

Multis omnino partibus maius eſt Eraſmi Rotterodami cum Polonis litterarum commercium. Habentur enim in collectione eius triginta ac quatuor, ni fallor ab illo vel ad Polonos vel a Polonis ad eum ſcriptae. Atque vt a Rege ipſo Sigiſmundo I. incipiam, duas ad eum Eraſmus dedit epiſtolas; poſteaquam ab Ioanne a Lasko, vt id faceret eſſet admonitus. Plurimum autem et Regi, et proceribus litteras illas placuiſſe epiſtola 913. docemur *). Sunt etiam nonnullae Eraſmi ad Laſcones epiſtolae, quorum alterum, Ioannem à Laſco Praepoſitum Gneſnenſem diſcipulum habuit, de eoque ad Fratrem illius Hieroslaum, Palatinum Siradienſem ita ſcribit **). „ Eius (nempe Ioan- „ nis à Lasko) conuictus, quoniam mihi tam fuit iucun- „ dus, vt vix aliud in vita iucundius, non poteſt non eſſe „ moleſtiſſimus illius abitus. Eius ſuauiſſima conſuetudi- „ ne propemodum repubueram. Nec enim a ſuperis opta- „ re poteram meis moribus magis appoſitum„. Eundem epiſtola ſequenti vocat, *Iuuenem citra arrogantiam eruditum, citra ſupercilium magnum ac felicem.* Eiuſdem ſatione Joannis ſermonibus adductus eſt Eraſmus, vt Ambroſium, quem anno MDXXVII. a ſe emendatum edidit, illius patruo Ioanni à Laſco clariſſimo regni Polon. Primati dedicaret. Saepius etiam ad Andream Cricium epiſcopum Plocenſem litteras dedit Eraſmus. Cricius autem nepotem ſuum Andream Zebridouium ad Eraſmum, vt cum illo vna viueret eoque magiſtro vteretur, miſit. De Zebridouio, memini me ſupra in Andr. ſcilicet Patricii vita nonnihil mentionis facere: nunc tamen ex epiſtola MLXIX. ea quae ad vitam eius pertineant, quae Starauolſcius omiſit, excerpam ***). *Sin mea*, inquit Eraſmus, *officia*

* edit. Lugd. Bat. Io. Clerici. **) epiſt. 770.
***) In Vitis epiſc. Cracouien.

officia voces ad calculum, quam minimum ad me redierit. Principio non penitus perſpectum erat adoleſcentis ingenium, quod in primis neceſſe eſt ei, qui velit indolem erectam ac generoſam tractare. Vbi iam alter alteri notus eſſet, iamque vterque alteri poſſet et vſui et voluptati eſſe maiori inceſſit illi cupiditas viſendae Galliae; id quoniam ſciebam illum haud leuibus de cauſſis velle, non admodum refragatus ſum illius animo. — Salutauit Regem, congreſſus eſt cum eruditiſſimis viris, audiuit eximios profeſſores. Deinde non nihil eſt Gallicae gentis linguam ac mores deguſtaſſe. nec enim illic haeſit multis menſibus; Sed cupidiſſime Baſileam ſe recepit, hoc animo, vt totum annum mecum verſaretur in litteris. — Caeterum vbi ſubodoratus eſt, Baſileae res eſſe ſuppuratas, metuens, ne quid tumultus oriretur, et nactus itineris comitem ex animi ſui ſententia, iuuenem eruditum, nobilem et prudentem Carolum Vtenhouium, mutauit ſententiam, ſimulque cum illo Patauium profectus eſt: habet enim ea ſchola praeter alios exacte doctos, Nicolaum Leoniceum et Petrum Bembum duo praecipua huius ſaeculi lumina. Eundem Zebridouium arbritror ab Eraſmo intelligi, vbi ad Baptiſtam Egnatium his verbis ſcribit*), *Pro humanitate quam Baroni Polono meoque Carolo exhibuiſti gratiam habeo maximam, quam tum in tuis ad me litteris tantopere praedicas elegantiam Caroli, arbitror errorem eſſe perſonae. Polonus erat expolitus, in Carolo meo nunquam animaduerti ſermonis Elegantiam.* Cauſſa, quamobrem illum, de quo heic agitur Zebridouium fuiſſe exiſtimem, ea eſt, quod Caroli, qui Vtenhouius fuerat, mentio fiat, quem ſibi itineris comitem adiunxiſſe Zebridouium, antea memoriae proditum eſt. Exſtant quoque Eraſmi aliquot epiſtolae ad Chriſtophorum Schiedlowiezium, Caſtellanum Cracouienſem, cui *linguam* ſuam nuncupauit

*) epiſt. 817.

cupauit Eraſmus, iſque viciſſim ab illo, tali ſenatore dignis muneribus eſt ornatus. Sunt itidem quatuor ad Antonium Caſſouienſem; ac tres ad Iuſtum Decium, hunc Regis Sigiſmundi ſcribam, illum eiuſdem Regis medicum, epiſtolae. Illae ad Iuſtum Decium litterae*), vno quaſi intuitu ſpectandos exhibent amicos, quos Eraſmus in Polonia habuit, *candidos*, ut ait *ac munificos*, quorum nomina ipſe refert ſequentia: Petrus Tomicius, Andreas Cricius, Ioannes Dantiſcus, Epiſcopus Culmenſis, Eraſmus Abbas Clarae tumbae, Ioannes à Laſco, Antonius medicus, Seuerinus Bonerus. Erat Bonerus ille ciuis Cracouienſis honeſtiſſimus, omnibus fortunae bonis abundans, doctus ipſe, doctorum hominum amator; et magni vel ab ipſis Sarmatiae proceribus fiebat. Eius filiis Ioanni et Stanislao, Terentium ſuum inſcripſerat Eraſmus.

In Pauli Manutii epiſtolis multa eſſe, quae rei Polonae litterariae indagatori vſui eſſe queant, re ipſa, niſi fallor, in Patricii vita oſtendimus. Quare diutius illis immorandum non cenſeo.

Idem etiam de Roberti Turneri epiſtolis ibidem fecimus. Sunt tamen praeterea aliquot epiſtolae, ad Polonos datae, vnde quis, quod è re ſua ſit, ſumere poſſit. Illae certae, quae ſunt in poſthumis eius XXXVI, et XXXIX. de Foelicis Herburti ſtudiis, animi ingeniique indole ac de eius peregrinandi conſilio nonnulla referunt. *Herburtum*, ſcribit ille ad Patricium, *perdis tempus cum commendas, mihi ipſe ſe ita commendat, vt alienae commendationi non relinquat locum. Nunquam certe incidi in meliorem agrum. ſiue iacio ſemen, ſiue colligo fructum. Nam ita ſitit, ita imbibit, ita ſemen gremio exceptum fouet, alitque ad frugem tandem profert; idque ſine*

*) vide epiſt. 1257.

fine occatione et fubactione duriore; vt fi pergat, Polonia certe eum admiratura, non nobiliffimum, fed eloquentiffimum. vates fum, non adulator. Ex ceteris autem, cum ad Zamofcium, tum ad Polonos quidem, fed ἀνωνύμως fcriptis patet epiftolis, et ipfum Herburtum, et alios eius populares cupiiffe, vt Turnerus in Sarmatiam veniat, fedemque inibi figat fuam. a qua quidem re adeo non abhorruit Turnerus, vt Zamofcio, quae fua de horum confilio effet fententia his verbis oftenderit. *Vno verbo*, ait, *quidquid poffum offero Poloniae.* Patet poftremo ex iifdem litteris multos Sarmatas Ingolftadium audiendi Turneri cauffa veniffe. Cetera quae in laudem Polonoruum perfaepe inibi dicuntur, quifque, qui volet, legat. Ego enim, quemadmodum antea dixeram, non omnia; fed quaedam tantumodo proferre conftitui.

Neque vero rebus litterariis ad Poloniam pertinentibus carent Antonii Mureti eloquentiffimi Galli epiftolae: qui et ipfi Stephano Regi carus exftitit. Ex iis multa defumere, hucque ad verbum defcribere, fortaffis non tam neceffarium videri poffet. quando eae epiftolae in plurimorum foleant manibus verfari. Tamen pati nequeo, quin aliqua huc adferam eorum, quae Muretus epift. LXVI. Lib. I. ad Paulum Sacratum fcripferat. Nam fortiffimi iuxta ac fapientiffimi Stephani Regis confilium de adiuuandis promouendifque bonis litteris, ac doctrinis vtilibus, inde perbelle video poffe cognofci. Ergo ita fcribit; *Stephanus Poloniae Rex, qui et aliis regiis virtutibus ornatiffimus eft, et fupra ceteros omnes Reges, qui multis ab hinc faeculis vixerunt, eximium habet, quod et amat vnice homines eruditos, et ipfe omni elegantis doctrinae genere mirifice excultus eft, miferat in Italiam vnum e domefticis fuis, qui quafi delectum quendam haberet praeftantium doctrina virorum, eofque opimis admodum propofitis conditionibus, in Poloniam inuitaret, ad academiam nouam, quam*

Rex Cracouiae inſtituere parabat. In mandatis autem regiis, quod ad alios quidem attinet, facta erat poteſtas ei, qui huc venerat, optimum quemque et in docendo exercitatiſſimum deligendi. de tribus nominatim perſcriptum erat, de me, de Carolo Sigonio, et de Fuluio Vrſino — — ea de re vnus e primoribus illius Regni Ioannes Zamoſcius — — litteras ad me peramanter, perque honorifice ſcriptas dedit. — — Iam mihi illud ſanctitatis et doctrinae ſpecimen Stanislaus Cardinalis Varmienſis gratuitam habitationem in palatio, quod Cracouiae habet ampliſſimum offerebat et quae ſequuntur. Hic autem ὡς ἐν παρόδῳ notandum, illum, quem Muretus *) ait a Rege in Italiam eſſe miſſum, fuiſſe (id enim epiſtola Ioannis Zarii Zamoſcii ad Muretum docet) Ioannem Zamoſcium Regis, vt vocant, ſecretarium. Etſi autem Muretus illarum promiſſionum fructus nunquam guſtarit, quoniam venire in Poloniam ei per Pontificem non licuit, pretioſis tamen muneribus a Zamoſcio praecipue eſt ornatus. cuius rei memoriam cum epiſtola ad R. Pincaeum **) ſeruauit; tum vero poëma illud elegantiſſimum canit:

Bina mihi artificis caelata nomiſmata dextra
Magnus ab Arctoo miſit Zamoſcius orbe
Aurea; non vani memorabile pignus amoris. et cet.

Fuere autem ea nomiſmata rarae admodum magnitudinis; quorum vnum Stephani Regis, alterum Io. Zamoſcii repraeſentabat effigiem. Id autem Mureti poëma: ſeu χρυσᾶ illa ἔπη tam fuere elegantia vt Iacobus Gillotus his non ſit veritus, verbis ***) vti, *Dii me perdant*, inquit εἰ μὴ τὰ ἔπη ἀντὶ τῶν νομισμάτων εἱλόμην.

Spera-

*) lib. I. epiſt. 79. **) lib. III. epiſt. 66.
***) lib. eod. epiſt. 58.

Speraueram equidem, in Francifci et Ioannis Hotomanorum, patris et filii, epiftolis fore plura, quae ad meum inftitutum fint referenda. Sed perluftrato volumine comperi, rem contra habere. Vnum illud ex epiftola XIX. Francifci Hotomani cognoui, frequentes ad eum ftudiorum cauffa veniffe Polonos. et Herbertum, Foelicem nempe illum, quem fupra Robertus Turnerus Galliam cogitare fcripferat, cum Ioanne Hotomano anno MDXCIII. fuiffe.

Magnum erat apud Polonos Iufti Lipfii nomen *). ac propterea funt multae illius ad Polonos epiftolae. In quibus plura de fummis, qui illis temporibus decus huius regni fuerant, viris, magnifice dicuntur, vt de Io. Zamofcio, Demetrio Solicouio ac aliis. Illud vero Simonis Simonidis elogium tacitum haud praetermittam. *Ego mi Simonide,* inquit ille**), *vt de affectu dicam, pretium laborum meorum cenfeo, a talibus amari: id eft a doctis, bonis, quorum inter apices te pono. Vt fama mihi non dixerit (quam et hic habes) vnum illud carmen tuum in* Imagines Zamofcianae diaetae *approbet: quod ita me Deus, eruditum antiquum fuaue eft, et numeros ac phrafim Catulli ac veterum illorum habet. Macte! fpondeo tibi paucos in Europa effe (et eft ingens poëtarum copia, vt apum) paucos inquam, qui, meo quidem fenfu, fic fcribant.* Neque etiam negligendum effe videtur eiufdem Lipfii iudicium de Adami Burfii (eum enim titulus ait effe autorem) *Dialectica Stoicorum:* libro, rebus rarae admodum eruditionis refertiffimo, ac paucis omnino vifo. Quod quidem ego iudicium hoc magis confideratione diligenti dignum cenfeo, quod video illam de autore eius quaeftionem, inde

*) vid. Sylloge epift. a Burmanno editar. tomo 2.
**) epift. 57. Centur. 5. Mifcell.

nonnihil lucis accipere. Prioribus itaque, verba, quae ſequuntur, continuo addit. *Iam illa Stoica, quam putas ipſo titulo et argumento blandita eſſe? quid, cum coepi legere tam multa e Graecis Latiniſque et remotis etiam autoribus petita: ſic adaptata et nexa, ſubtiliter explicata: quam putas inquam, animo affectum et motum eſſe? Amo illam ſectam, et conatus ſum producere, vt vidiſti: ſed hanc logicam partem reformidaui paene tangere, vix otii certe non languoris huius mei. Gaudeo illic factum a Burſio, et ſic erudite factum: a Burſio, an vis me magnum illum Heroëm veſtrum inſcribere, quod vix vlla aetas credat? Virum in tot, et tam arduis occupationibus, regni Atlantem, ſuſtinere et has litterarias curas et lucubrationes poſſe.*

Epiſtolarum Ioannis Caſelii, multorum Polonorum praeceptoris, non contemnenda eſt in re litteraria Poloniae accuratius cognoſcenda vtilitas. Geſſit Ioannes Caſelius variarum ſcriptionum, quae Graeca Latinaque lingua in obitum Zamoſcii confectae ſint, edendarum curam. Enim vero expertus eſt et ipſe etiam Caſelius liberalitatem Zamoſcii, poſtquam ad illum, hortante Dauide Hilchenio, qui Regi fuit ab epiſtolis, ſcripſiſſet. Narrat ille epiſtola LII. libri XIV. *) miſiſſe ad ſe Zamoſcium duas ex auro vultus ſui εἰκόνας, quarum altera ſibi, altera Paulo Meliſſo eſſet dono data. Deſcripſit equidem Caſelius τοῦ ἥρωος in litteras merita more ſuo, id eſt verbis exquiſitis ac apta plane dictione in epiſtola ad Thomam Zamoſcium, Ioannis fil. ea eſt ſexageſima illius centuriae ad viros principes, quam Joan. à Fuchte edidit **); quamque in recentioribus Caſelianarum epiſtolarum editionibus fruſtra quis quaerat. Cum autem paucis huius editionis poteſtas ſit, non pote-

*) edit. Hanouer. 1718. in 8.
**) Helmſt. 1619. in 8.

poterit non esse gratum omnibus Zamosciani nominis; hoc est diuinae prorsus virtutis, admiratoribus, quaedam inde decerpta legere. Ita autem scribit, venerandus ille senex; *Ioannes igitur et diligentia, cum esset adhuc vnus inuestium, vt prisci loquebantur, ante pubertatem profecit incredibilem in modum, fere vt cum vernaculo sermone Latinum imbibisse videretur. — — Ioannes in Galliam missus, vt educaretur inter purpuratos Francisci Delphini — pueros, sponte illum splendorem respuit, et ad litteras se subito recipiens Lutetiae ingenium excolere maluit, quam otiosus in deliciis viuere in regia, contra quam facere fortunatorum filii vulgo solent — — Haec patris tui prima adolescentia est. nec is adolescente maior in Italiam se contulit, quae vna omnium orbis terrarum humanae sapientiae et ipsius humanitatis domus est. — — Substitit autem Patauii, nec poterat maiore ingenii bono vspiam viuere gentium. Cum enim ibi doceret eloquentissimus vir et* πολυΐστωρ *Carolus Sigonius (sic enim non solum ex monimentis, quae exstant: sed tum coram quoque cognoui, et ipsi cognitus et carus) in eius se consuetudinem contulit, et de consilio Sigonii dicendi artem et politica studia percoluit: atque in his historiam. Non solum in amoribus et ore erat doctorum hominum Zamoscii nomen; sed apparebat quoque eius egregia lucubratio de magistratibus Romanis; vnde quo esset iudicio et qua dicendi facultate omnes statim perspiciebant.* Ac pluribus interiectis ita pergit; *Vnum ausim dicere, his saeculis exemplum vix dari alterius cuiusquam, qui simul tam sapienter et feliciter principis senatus dignitatem et munus imperatorium gesserit.* Postea autem, quam multa de eius in instituenda academia studiis ac laboribus positis praeclare dixisset; quae illius in doctos homines voluntate his ostendit verbis; *Ad patris autem tui laudes refero, quod cum ipse esset disertissimus, cuius rei exempla multa vidi, tum*

 doctos

doctos etiam homines et norat, et in pretio habebat: in ceteris poëtam eximium Paulum Meliſſum, Iuſtum Lipſium, Ianum Douſam, et vniuerſae eruditionis principem Ioſephum Scaligerum.

Huc quoque addo Erycii Puteani epiſtolarum centurias. verum in iis, etſi ſint aliquot ad Polonos miſſae, parum eſt, quod quis in vſum hunc de quo nobis inſtituta eſt oratio, conuertat.

Plura omnino continet vnica illa doctiſſimi adoleſcentis Georgii Douſae *de intinere ſuo Conſtantinopolitano ad patrem Ianum Douſam epiſtola.* Ea habet aliquas ſibi, tanquam comites adiectas litteras a doctis hominibus ſcriptas; atque in iis vnam Iani Douſae patris ad Georgium filium, qua eum de Iani fratris, morte facit certiorem. in ea eruditiſſimus ſimulac nobiliſſimus ille Belga hunc in modum de Simone Simonide poëta, verba facit. *Nunc* inquit, *ceſſator eſſe cogor, ac commodiori tempori hoc ſcribendi officium reſeruare. praeſertim ad Simonem Simonidem; quem virum ego iam pridem ex ſcriptis editis Aelinopaeane puta, atque odis Pindaricis, tum Ioëlis Paraphraſi illa poëtica multo quaeſitiſſima, procul diſſitus licet et veneratus ſum et admiratus. O! eximium illum mei ſtomachi vatem!* Petit deinde a filio vt is curae habeat, ſe Simonidi illi de meliori nota commendare.

Fore autem praeterea aliorum etiam eruditorum epiſtolas, quae eodem, quo illae, de quibus hactenus ſcripſeram numero ſint habendae, non equidem nego. Sciens enim prudensque aliquorum συλλογὰς omiſi. Multo autem minus eo inficias, etiam in his epiſtolis quas indicaſſem, eſſe praeterea, quae rem Poloniae litterariam poſſint adiuuare. quae ego itidem, conſilio quidem ac iudicio, fortaſſe etiam nonnunquam caſu, neglexi. quod quidem nemo, qui cogitarit, ecquid tota hac ſcriptione ſpecta-

ſpectarim vitio dabit. De duabus tamen adhuc epiſtolarum collectionibus paucula verba faciam, quae, ſi quae aliae, eo nomine ſunt commendandae, quod rebus eiuſmodi, quarum hic habita eſt ratio, ſint refertae. Latini ſcilicet Latinii epiſtolae, quae fere maximam partem in negociis Polonicis cum ſint ſcriptae, plurima ex hiſtoria Poloniae litteraria, praecipue vero eccleſiaſtica illius temporis lectores condocent ſuos: Et Tabullarium illud eccleſiaſticum Saeculi XVI. maximi ſane eſt vſus in eiuſdem regni hiſtoria eccleſiaſtica illuſtranda. quamuis nec iis deficiat, quae ſint ad hiſtoriam ſimul litterariam referenda.

Non erit, opinor alienum ab inſtituto meo, de iis etiam dicere epiſtolis, quibus externi homines ſuas lucubrationes Polonis nonnunquam dedicarunt. De quo quidem epiſtolarum genere hoc agam breuius, quo pauciores illiuſmodi litteras ſcriptas fuiſſe video. Sumam autem exemplum ex ea, qua Aldus Manuccius Pauli f. ſecundum operum M. T. Ciceronis tomum Ioanni Zamoſcio nuncupauit. In ea igitur Manuccius, poſtquam Stanislaum Orichouium, Iacobum Gorſcium, Stanislaum Socolouium, collaudaſſet, Andream Patricium, de Stanislai Niegoſſevii, quo cum ille vixerat, ingenio ſempiterna admiratione digniſſima narrat. Is enim adoleſcens, quae ἀδύνατα videri poſſint, quaeque vix quisquam credat, praeſtitit. Verſus nempe ex tempore tam facile fundebat, vt continuo aliorum argumenta, ſi qua diſputandum eſſet, carmine refutaret. Huius pangendorum verſuum facilitatis vel publice periculum facere non dubitauit, edidit igitur ſcriptum, quo pollicitus eſt, ſe ad obiecta ſibi argumenta carmine reſponſurum; idque in vnaquaque materia. quod quidem ille dicto die ingenti omnium admiratione effectum dedit. Πρόγραμμα autem illud, quo omnes ad id ſpectaculi inuitabat, ſuae huicce dedicationi Manuccius inſeruit. id exhibet leonem alatum, aeri inciſum.

per eius omnia membra ſunt carmina miro plane artificio diſpoſita, ſubiectaque huic imagini ſequens eſt inſcriptio:

Vt eſſet perpetuum Stanislai Niegoſſeuii, Poloni in nomen venetum pietatis argumentum; tum vero cum Aldo Manuccio dignum mutuae caritatis pignus, et tanquam hoſpitalitatis quaedam teſſera: vel hoc aetatis nec a litteris abhorrens, nec amicorum ſententia immaturus in alto feſtae pacis otio et ſenſus theologorum, et res Ariſtotelis omnes, ſibi tuendas ſuſcepit.

I. De Theologia poſitiua et ſcholaſtica.

II. De univerſa Ariſtotelis philoſophia, naturali, morali, diuina.

III. De rebus mathematicis.

Ad obiecta reſponſurus carmine hexametro vel pentametro.

Vt vero, quantum liberalis doctrinae et politioris humanitatis ſtudio ipſe profecerit quiſque intelligat, oratione vel ſoluta, vel numeris poëtice vincta propoſitam habens ad dicendum materiam ex tempore dicet. Deinde Platonicos numeros, cabaliſtarumque ſomnia ex proponentium arbitrio refutabit. In DD. Ioannis et Pauli aede ſacra, in ipſo ſancto purificationis die poſt meridiem, exordium ſumet. MDXXCIV.

Suffecerit igitur iſthaec hactenus de vſu epiſtolarum in re Polonorum litteraria, in medium attuliſſe. Ea vero, ſin illud, quod ſuperius affirmauimus teſtificabuntur; patere profecto debet, quanto ſit opere conſilium illud illuſtriſſimi ac excellentiſſimi Ioſephi Zaluſcii regni Poloniae Referendarii maioris, laudandum, quod ſe cepiſſe, iam diu oſtendit. eſt ei videlicet in animo omnes epiſto-

epiſtolas, quae vel a Polonis, vel ad Polonos, ſint ſcriptae, aut in quibus ſint ad Poloniam facientia, colligere; collectas in commodum omnium, qui rerum Sarmaticarum ſint ſtudioſi, a ſe recenſitas edere; ac externorum quodammodo habitu Poloniam ſuam ornare, comptam decoramque exhibere. Eum vtinam Deus O. M. ita adiuuet, vt cum huius, tum aliorum etiam pro litterarum bono ceptorum conſiliorum fructus, et patria illius, de qua plurimum, pro ſua in eam pietate mereri impenſe ſtudet, et vniuerſus orbis litteratus, cuius cauſſa ſe plurimum velle profitetur, vberrimos percipiat.

VI.

RELATIO
DE VBALDI MIGNONII
NOCTIBVS SARMATICIS
ET
ALIIS CONTRA EAS EDITIS
SCRIPTIONIBVS.

LECTORI.

Sin, tu, LECTOR, in iis es, qui nonnihil curiosius, ecquid geratur in litteraria republica, scisсitantur: sin tibi curae est ἐφημερίδων ope cognoscere, ecquid inter eruditos belli ortum sit; ecquae sint induciae pactae: si qua pax confecta (ita enim fieri et in hac litteratorum ciuitate tam constat, quam quod maxime); non dubito quin aliquid de Vbaldi Mignonii *Noctium Sarmaticarum vigiliis* obscure saltem cognoueris. In hac opinione cum essem, venit mihi in mentem tecum de iis, quas dixi, *Vigiliis* paullo vberius, atque adhuc factum est, communicare. de *Vigiliis* autem? imo totum hoc bellum, cui caussam illae dedere, placuit perscribere. Hac sane in sententia confirmabar, cum cogitarem, me in rebus vetustate obsitis, producendis totum isthoc otium meum insumpsisse. quod quidem nemo, si mei stomachi omnes lectores essent, grauiter feret. Nunc cum res contra habeat, novaque omnia omnes cupiant; non poteram magis quod e re sit mea facere quam istis τῶν νεοφυῶν amatoribus gratificari. cur enim id non facerem? in ea re praesertim.

tim. Dicam igitur primum de Vbaldi opere paullo verboſius: de aliis vero ſcriptionibus, quae eo pertineant, quae exigua ſunt corpuſcula, breuius. Eccum autem libri de quo agitur titulum:

Vbaldi Mignonii de Cler. Reg. ſchol. piar. Preſbyteri S. R. M. Auguſti III. Polon. Reg. a ſacris conſiliis et in aula Rom. promouendorum ad epiſcopatum Examinatoris theologi Noctium Sarmaticarum Vigiliae. Typis Brunsbergen S. I. et Varſauien. Schol. piar. MDCCLI. conceſſa a Super. facul. in 4. mai. 2 Alph. 6. plag.

Titulo quidem, vt palam eſt, Vbaldus Mignonius A. Gellium imitatur, ſcriptionis argumento non item. Nam atticarum Noctium vigiliae critices et philologiae fines vix egrediuntur; Sarmaticarum contra non contemnendam variarum diſciplinarum partem, nonnullaque praeterea poëmata continent. Clariora haec fient, ſi, quid his Vigiliis elucubratum ſit, oſtenderimus. Praemiſſa illis eſt autoris ad Celſiſſ. et Reuerendiſſ. S. R. I. Principem Adamum Stanislaum Grabowski Varmienſium Epiſc. epiſtola, quas eas ſuo illi, omniumque, qui eximium quid in litterarum ſtudiis praeſtant, Maecenati benigniſſimo, dedicat: Illiuſque Praeſulis erga ſe beneuolentiam ita praedicat; vt huius operis ſcribendi ſimul narret occaſionem. Quippe ex Italia a Stanislao Konarſcio clariſſimo piarum ſcholarum presbytero in Poloniam euocatus, vt ibi priſtinam rationem docendi, quae in huius ordinis ſcholis adhuc obtinuit, emendaret, in dicti principis aula, longiori temporis ſpatio eſt commoratus. vtque huius otii litterarii rationem palam faceret, placuit ei iſthoc operis conſcribere; quò et commodius in latiori variae eruditionis campo diuagari, et eodem negotio viam, qua ad eam peruenitur poſſet indicare. Aequum eſſe non cenſeo ſapientiſſimi Varmienſium Antiſtitis merita

rita non attingere, quae Vbaldus diligenter depinxit. In primis autem illud ponit, quod, *Comica anicularum visa dediscere religionem cogat, et circulatorum commenta inhibeat et superstitione eximat veritatem; nec imaginum cultus instructis ad risum spectaculis exerceatur, nec gregibus exhibeantur nisi pabula selectiora, sine aliqua mistione malorum graminum.* Haec quidem hactenus pluribus fortasse verbis de nuncupatoria epistola dicta sufficiant. nunc ad speciales hocce volumine comprehensas dissertationes enumerandas ingrediamur. quarum primo loco posita est ea, quam de *Arte critica* ad *Exetesticum Varmium* perscripsit, et Adamo principi Czartoriskio Palatini Russiae filio dicauit. Eam sequitur *de vitali principio quod est in brutis ad Exetesticum Varmium epistola philosophica*, quam nuncupauit Friderico Aloysio S. R. I. comiti Brühlio. Huic subiuncta est alia in prioris defensionem ad censorem eius Regiomontanum Latina simul et Gallica lingua scripta. Nam ipsa illa censura, Gallorum sermone vernaculo exarata est, sub titulo; *Lettre critique faite d' une lettre philosophique — de vitali principio etc. par un inconu de reputation faisant sa residence à Königsberg.* eius autorem esse ipsum illum doctissimum Varmiensium Episcopum, quem Vbaldus hoc opere Exetesticum Varmium appellat constanti omnium voce affirmatur. Haec consequitur carmen; *Vienna ab obsidione libera Deiparae magnae praesidio per Ioannem III. inuictissimum Polon. Reg.* et elegia de *Virgine in coelum assumpta*, carmenque genethliacum in *Natiuitate Sereniss. Burgund. Ducis Regior. Princip. Ludouici Delphini et Mariae Sophiae filii.* Deinde aliud ad *Celsiss. et Reuerendiss. Adamum Stanislaum Grabowski Varm. Episc. in Encoeniis ecclesiae nuper ab ipso exstructae.* Postremo alia ad *Excellentiss. Masouiae Palatinam Constantiam Poniatouiam* elegia. Comitatur haec poëmata oratio de *Poëseos et Poëtarum studio ad Latinitatem comparandam necessario*

ad

ad *Exeteſticum Varmium* Carolo, Ioanni et Hieronymo fratribus Wielopolſciis deuota. Eam excipit de *Iure publico eccleſiaſtico ad Exeteſticum Varmium* oratio nuncupata Adamo Ignatio Komorowskio Gneſnenſi Archiepiſcopo. Proxima ei eſt altera *de moralibus diſciplinis ad* eundem, dicata grauiſſimo ſanctae Varmienſis eccleſiae praeſulum collegio. Poſt illa conſpicitur *Commentarium de vita et moribus Caroli Maielli Archiepiſcopi Emiſſeni*, quod Alberico Archiepiſcopo Nicaeno ex comitibus de Archinto inſcripſit. Finem denique his *Vigiliis* imponit *Eccleſiaſtes S. de verbo Dei pro Concione dicendo* ad Exeteſticum Varmium vberrime ſcriptus, et verboſa epiſtola Michaeli de Granow Wodzickio Decano Cracovienſi Regni Poloniae Procancellario nuncupatus, qua ſe contra quoſdam aduerſarios ſuos, quibus nonnulla in hoc opere non arridebant, tuetur. Earum omnium quas hactenus enumerauimus ſcriptionum ſummam a nobis heic perſcribi qui cupiat, neminem eſſe exiſtimamus. neque, id fieri poſſe, iuſto longiores euadamus, quisque inficiabitur. Vereremur praeterea ne legere ea ingratum accideret multis, vera illa quidem, et ſalubria, trita tamen, et eruditorum libris paſſim obuiis multo antea tradita. Quamuis non nego rem percommodam feciſſe Vbaldum Polonis hominibus, qui ſapientiſſima aliorum de tradendis diſciplinis conſilia aliaque praecepta vno opere Stylo a Latina conſuetudine loquendi non omnino alieno, ſit perſecutus. Nec facile reticuerim hominis in ſcribendo iudicandoque libertatem, atque candorem, quem tamen vbique non ſeruauit. Quae quidem, quemadmodum autori laudi ſunt tribuenda; ita minime probandum eſt, paullo ante dicta poëmata operi inſerta fuiſſe. illa etenim eò, quod ſpectaſſe videtur, aut ſpectaſſe certe debuit, non facere, et ea tantum gratia inſerta eſſe, vt maioris molis volumen efficerent, nemo praeter ipſum Vbaldum negauerit. Quod autem ille dolere ſe ait, *Italo aut Gallo facilius eſſe Latinum fieri quam Scythae;* do-

dolendum potius esse existimabunt omnes, qui sapiunt, tam inepte iudicatum ab eo fuisse, qui ingenii aciem, tanquam rem praecipuam sibi prae aliis contigisse putabat. Illud vero seueriori censura dignum est, quod primum quidem totum illud opus celsissimo Grabouio inscripserit, vt suae erga talem Maecenatem exstaret obseruantiae testimonium; deinde autem Varsauiam reuersus, singulas eius partes aliis etiam dedicauerit; quas quidem dedicationes, ad inscriptionis normam factas, vnaque tantum pagina constantes *Vigiliis* suis inspersit. Qua re adductus id fecerit, indagatu perfacile est. Quid enim caussae est, cur non aperte dicamus lucri cupiditate permotum esse hominem. Quamobrem mirum non est, hoc facto Maecenatis sui in se incendisse animum. Effugisse ille quidem huius Praesulis indignationem videtur, eo quod sit in Italiam profectus. Ac dicebat forte tum ille sibi, quod Terentius aduersarium suum Lucilium, Senem illum infelicem ac iracundum poëtam cogitare vetuit;

Defunctus iam sum, nihil est, quod dicat mihi.

Ceterum ferunt Vbaldum, cum iter in Italiam haberet, ac Vindobonae moraretur, denuo hasce suas *Noctium Sarmaticarum Vigilias* Augustissimo ac inuictissimo Caesari nuncupauisse. Quasi vero nondum satis declarasset, quantum sacra illa auri fames in se imperii haberet.

Quod supra protuli Vbaldi Mignonii sinistre de Polonis iudicium, atque illud, quod eos, nescio quo *Crasso in aëre, ac veruecum in patria* natos esse scripsisset, negassetque illos ad litterarum scilicet studia esse aptos, permouit Franciscum Bohomelec e S. I. qui in gymnasio nobilium adolescentum Varsauiensi rhetoricen docet, vt popularium suorum ingenia oratione pro *Ingeniis Polonorum* defenderet. quae quidem oratio, cum publice in in-

staurtione

ſtauratione ſtudiorum recitaretur, deinde vero impreſſa a plurimis legeretur, vehementer eſt collaudata. Fuere tamen, qui in illa argumenta ex hiſtoria litteraria petita, quae in hacce diſceptatione neruorum plurimi habere videntur, requirebant.

Contra hanc *Orationem* ſcripſit Vbaldus Mignonius *ad Nicolaum Trzebickium S. I. collegii et academiae Vilnenſ. miniſtrum Epiſtolam*, vna in plagula, formaque quam quartam dicimus, typis exſcriptam. Haec, cum autorem prioris orationis conuitiis tantummodo exagitet, nihilque ſani contineat, parum Vbaldo digna vel ab ipſis eius amicis eſt exiſtimata.

Inſultantem ſibi iſthac epiſtola Vbaldum ſtatuit Bohomelecius eodem ſcriptionis genere repungere. Scripſit itaque *Epiſtolam* ſub nomine *Varmii Exeteſtici ad Vbaldum Mignonium Noctium Sarmaticarum autorem*, quae itidem typis eadem cartarum forma eſt exſcripta. Stylus, quo in hac epiſtola vtebatur, et latinus eſt, et elegans; abeſtque a ſumma iſta contentionis acerbitate longius, multo tamen ſale, vt aequum erat, conſperſus. Editae ſunt duae illae epiſtolae anno MDCCLII. Varſauiae; qui tamen locus, in vtraque eſt diſſimulatus.

Dum cum iſthoc ſuo, quem dixi, aduerſario pugnat Vbaldus, quaſi de improuiſo nouis alterius cuiuſdam copiis vexatur. Exiit nempe Scriptum, loco quidem quo ſit editum, non indicato, cui titulus, *Replique du Cenſeur de Königsberg au Pere Vbaldo Mignoni.* huius opuſculi, quod mira linguae Gallicae elegantia multoque lepore exaratum eſt, autorem eſſe ferunt Celſiſſim. Principem Stanislaum Grabowski Varmienſium Antiſtitem. a quo primam iam *Cenſuram* contra Vbaldum profectam eſſe, a multis ſuſpicari, ſupra monuimus. Carpitur hic cum praecipue illa epiſtola philoſophica de *Principio vitali, quod eſt in brutis,*

tis, tum ipſe etiam *Vigiliarum* titulus, tanquam illius- modi operi minime conueniens, id enim corraſum vndique eſſe et exiguis plane vigiliis perfectum cenſor, quiſcunque is demum exiſtat, arbitratur. additque nihil in toto iſto volumine praeter titulum inueniri, quod proprium ſit Vbaldi, et non aliunde petitum.

Adhuc quidem Polonorum viribus, in ipſa Polonia contra Vbaldum eſt decertatum. Cum autem ille inde in Italiam ſuam profugeret, in hac ipſa prouincia, in qua ſe tutum fore arbitrabatur, quaſi de integro acriter ſane a celeb. Logomarſino eſt oppugnatus. Oſtendit quidem vir ille doctiſſimus, ſe de Sarmatarum ingeniis, ergaque litteras meritis longe aliter, atque Vbaldus, iudicium facere. idque vel maxime declarat, cum in illa de qua iam dicam epiſtola ſua de bibliothecae Zaluſcianae praeſtantia, paucis quidem illis, ſed magnificis verbis loquitur. Nihilominus tamen non videtur ille peruerſum ſolummodo iſtud hominis iudicium hac ſua epiſtola confutare voluiſſe; ſed patet potius fuiſſe ipſi in animo permultos *Sarmaticarum Vigiliarum* locos ſub cenſuram ſuam vocare. idque vel ipſe titulus ſcriptionis illius oſtendit. is vero talis eſt:

„*R. P. Hieronymi Logomarſini Litterarum ad* „*Chriſtophorum Varſauienſem exemplum, Quibus iudi-* „*cium fertur, de aliquot locis operis inſcripti Noctium* „*Sarmatic. Vigil. Editio ſecunda poſt Polonicam. Tri-* „*denti typis Ioan. Baptiſt. Monauni, cum perm. Sup.* „*in* 8. conſtat pagg. 117.„

Antequam de ipſa epiſtola aliquid dicatur, monendi ſunt lectores falſum id eſſe, quod in titulo ſcribitur; *Secunda poſt Polonicam editio.* Nunquam enim hae doctiſſimi Logomarſini litterae in Polonia typis ſunt excuſae: manu quidem ſcriptas ibidem ante circumlatas eas fuiſſe,

quam

quam impreſſae illuc ſint allatae, liquido poſſum affirmare. Nunc iam ad rem ipſam accedendum eſt. Principio autem ea, quae in *Vigilia* de *Poëſeos et poëtarum ſtudio* pag. xxx. ſcripta ſunt, examinantur. Ait ſcilicet Vbaldus Gaſparem Dragonettum et clericum regul. ſchol. piar. fuiſſe et Emanuelis etiam Aluari praeceptorem, vtrumque autem eſſe a veritate alienum, eruditiſſimus autor hunc ferme in modum oſtendit. Emanuel Aluarus in Madera inſula anno MDXXVI. natus, in Luſitaniam MDXLVI. ineundae Societatis Ieſu cauſſa venit, nec poſthac vnquam ex iſthoc regno excedens ibidem MDLXXXIII. diem obiit ſuum. Gaſparem vero Dragonettum omnes ſcriptores, qui quidquam de eo memoriae prodiderunt, teſtantur in Sicilia tantum et Italia fuiſſe. Fieri itaque plane non potuit, vt is Aluari praeceptor eſſet, cui hunc ne videre quidem vnquam contigit. Quia vero Vbaldus eorum quae c. l. affirmaſſet, teſtem aduocat Petrum de Valle, Italum hiſtoricum, ex ipſis huius hiſtorici verbis Logomarſinus palam facit, primum quidem Gaſparem Dragonettum ſcholar. piar. presbyterum non fuiſſe; verum eorum tantummodo contubernalem. (*N' on religioſo, ma in compagnia di quei Religioſi*) deinde vero demonſtrat, eundem hiſtoricum ſcripſiſſe; appellatos fuiſſe a Dragonetto. Emanuelem Aluarum alioſque grammaticos, diſcipulos ſuos; non vero, Aluarum ſe ſe Dragonetti appellitaſſe diſcipulum. Quamuis vtrumque ſenſum ex Italica oratione colligere poſſis; attamen priorem illum genuinum, ſcriptoriſque menti conuenientem eſſe conatur cel. Logomarſinus apertum facere. Enim vero anno MDLXXII. Romam allata eſt Aluari grammatica, annum iam ſexageſimum agente, et trigeſimum ſimul Nebriſſenſis praecepta grammatica iam explicante Dragonetto. ille vero, cum forte aliquis Aluari opus exhiberet, ſimul ac illud ex Luſitania eſſe aduectum cognouit, libro continuo clauſo, *A Nazareth*, inquit, *poteſt aliquid boni eſſe?* Poſteaquam haec facta ſunt pergebat ſane Dragonettus explicare Nebris-

ſenſis ſui grammaticen ad annum vſque mileſimum ſexcenteſimum viceſimum ſextum; homo vltra CXVI. annos aetate prouectus. Ac eo quidem tempore Petrus de Valle, ille hiſtoriae ſcriptor, poſt multorum annorum itinera Romam reuerſus eſt, et ad ſenem, nec viuendi, nec grammaticam docendi finem facientem adiit, multaque cum eo, cum de antiquiſſimis rebus, tum etiam de grammatices profeſſione ac ipſo illo Aluaro locutus eſt. Ibi tum decrepitus ille, vt mos eſt eius aetatis, paullo iactantius aiebat, habere ſe et Aluarum et multos alios grammaticos, qui eum ſint ſecuti, diſcipulos. Haec quidem ipſe Petrus de Valle in ſuo opere narrat, cui titulus; *Viagi di Pietro della Valle Tom. III. epiſtola vltima; Si chiama ſuo Scolare Emanuele Aluaro, e coſi molti altri grammatici moderni.* His ſane de Dragonetto pluribus verbis diſputatis, incipit cel. Logomarſinus ſtylum Vbaldi acerbe perſtringere, ſalſeque ridet, tum antiqua illa ex Ennio, Pacuuio aliisque huius aetatis autoribus ſumta vocabula, quae Vbaldo, etſi non intellecta in deliciis eſſe ſoleant, tum alias eius phraſes, a Latina conſuetudine abhorrentes. quod cum facit, declarat omnino, quam ipſe in numerato habeat omnem Latini Sermonis elegantiam ac proprietatem. Nequeo hercle ſatis mirari, ita caſu quodammodo factum fuiſſe, vt eum praecipue titulum libro ſuo praemitteret Vbaldus, quem tam multi riderent. Nam vt prior ille cenſor de eo dixerat, nihil in omnibus vigiliis eſſe quod autori proprium ſit, quam titulum; ita et doctiſſimo Logomarſino videtur, eum inſcribendum fuiſſe, non *Noctium Sarmaticarum vigiliae,* ſed; *Sarmaticarum culinarum crambes recoctae.* Cum Vbaldus *Dictionarium* illud *Italicum ac Latinum,* quod Mauritius Franceſconi eius ſodalis anno MDCCXLVII. edidit, vehementer laudaſſet, placuit cel. Logomarſino iſtud aduerſarii ſui iudicium examinare; ſimulque ipſum hunc Latinae linguae commentarium ſub cenſuram amaritudinis plenam vocare. Verum de ea re, quemadmodum aliis,

aliis, quae tum in ipſum Vbaldum, tum in alios dixit, plura verba facere non attinet.

Ceterum vehementer equidem, dubito, Vbaldum huic doctiſſimi Logomarſini epiſtolae vnquam reſponſurum eſſe. Videtur enim, et ipſum totius iam diſceptationis taedere ac poenitere. Illud profecto eius in occultandis Vigiliis ſtudium (nam nec ipſis in Italia ſui loci ac ordinis hominibus earum vult facere videndarum poteſtatem) declarat, eum ipſum partum hunc ſupprimere ſuum.

INDEX.